bilitatis, puta opinio, dubium, aut ignorantia de utraque; & hoc accidit in mysteriis, quæ cùm trascendant omne lumen naturale, sub demonstrationem non cadunt.

Urgebis: Hoc mysterium est evidentèr credibile: ergo est evidentèr possibile. Prob. Conseq. arguendo ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis: *Quod est evidentèr impossibile, est evidentèr incredibile: ergo quod est evidentèr credibile, est evidentèr possibile.* R. N. Conseq. Quia ex diversis principiis petuntur rei credibilitas, & possibilitas; hæc, sicùt & veritas, petitur ab eo, quod est in re: illa autèm petitur ab extrinsecis, scilicèt testimoniis, signis, &c. Ad probationem, N. hoc argumentum esse ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis; tùm quia tàm consequens, quàm id, quod affertur, ut ejus oppositum, est affirmativum; oppositarum autèm enuntiationum una debet esse negativa. Tùm proptèr hanc particulam *evidentèr*; ratione etiam illius utrumque de eadem re negari potest, scilicèt quòd sit evidentèr possibile, & evidentèr impossibile: sic itaquè deberet formari argumentum: *Quod est evidentèr impossibile, est evidentèr incredibile: ergo, quod non est evidentèr incredibile, non est evidentèr impossibile.* Quod totum admittimus.

Petes, utrùm, & quæ hujus mysterii notio concessa sit Judæis? R. 1. Patriarchis, Prophetis, & singulari sanctitate præcellentibus concessa est aperta hujus mysterii notitia.

Prob. 1. ex Scriptura. Præfatis concessa est notio, seu fides explicita Incarnationis Verbi; atqui hæc supponit apertam Trinitatis notitiam, cùm Christus sit secunda Trinitatis persona incarnata: ergo. Prob. Major ex desideriis Sanctorum veteris Testamenti Matth. 13. *Amen dico vobis*, inquit Christus, *quia multi Prophetæ, & justi cupierunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt.* Et Joann. 8. *Abraham Pater vester exultavit ut videret diem meum, vidit, & gavisus est.* Hoc autem desiderium videndi Christum, ejus notitiam supponit.

Prob. 2. ex Patribus. S. Ambros. l. 1. de Cain, & Abel c. 8. & S. Aug. l. 2. de Trinit. c. 11. docent, Abrahamum agnovisse Trinitatem, quandò *tres vidit, & unum adoravit.* S. Epiphanius Hæresi 5. *Una Trinitas*, inquit, *sempèr in illa singulari divinitate nuntiata, creditaque ab illis est, qui cæteris antecellerent*; cujusmodi Prophetæ atque eximia sanctitate præditi homines fuerunt. Itèm Cyrillus Alexandr. Theodoret. & alii.

Prob. 2. ratione. Ipsimet Patriarchæ, & Prophetæ hoc mysterium scriptis mandarunt, ut vidimus suprà: ergo illud noverunt.

R. 2. Quibusdam scribis, & legis peritis Gentis Judaicæ concessam fuisse hujus mysterii apertam notitiam probabile est. Prob. 1. ex his, quæ suprà retulimus ex Galatino. 2. Quia hoc mysterium habemus exaratum in Scripturis veteris Testamenti: nihil ergo obstat quominus Gentis Judaicæ Doctores, qui Scripturas scrutabantur, in eis illud viderint.

R. 3. Secundùm Patres, vulgo Gentis Judaicæ non fuit concessa hujus mysterii notitia. Ità Tertulianus adversùs Praxeam cap. 31. Theodoretus serm. 2. græcarum affectionum. Hilarius l. 8. de Trinit. S. Gregorius Nazianz. orat. 37. S. Basilius l. 2. contrà Eunom. Gregorius Nyssen. libr. de imagine Dei, Chrysostomus hom. 5. de incomprehensibili Dei natura; & alii. Hujus autèm œconomiæ plures adferunt rationes, quarum præcipua est, quia hujus mysterii non erat capax Gens Judaica, ad Idololatriam propensior. *Cùm in Ægypto*, inquit Theodoretus loco citato, *diutissimè versati essent* (Judæi) *multorumque ibi Deorum cultum ritu ægyptiaco didicissent, sapientissimus Deus neque illis manifestè omninò Trinitatis mysterium tradidit, ne ex eo multitudinis Deorum occasionem sumerent, ad impietatem Ægyptiorum propendentes.* Altera ratio est; quia perfectior divinitatis notitia Christo, & Legi novæ ut nobiliori servanda erat, indèque inter utramque legem apertius discrimen haberetur.

Dices: Genti Judaicæ concessa fuit fides in Christum; atqui, ut dictum est, fides in Christum supponit notitiam Trinitatis: ergo. Prob. Maj. Gens Judaica potuit salvari, & multi ex ea salutem consecuti sunt; atqui nemo potest salvari absquè fide in Christum: non est enim, inquit Scriptura, aliud nomen sub cœlo datum, in quo oporteat nos salvos fieri: ergo.

R. D. Maj. Genti Judaicæ concessa fuit fides implicita in Christo, C. Ant. Fides explicita, N. Ant. Non enim hæc requirebatur ante Incarnationem; sed sufficiebat implicita, quæ non supponit notitiam Trinitatis. Quod autèm Gentis Judaicæ vulgus non hubuerit fidem explicitam Incarnationis, patet ex eo, quòd Judæi voluerint lapidare Christum: quia se dicebat Deum, & quòd putarent Messiam venturum ut Regem temporalem, qui Gentem suam ab hostibus, & servitute armis liberaret. Undè Apostoli ex hac opinione vulgi interrogabant Christum, Act. 1. *Si in tempore hoc restitues Regnum Israël?*

DIGRESSIO HISTORICA.

De Concilio Nicæno.

In Causa Arii.

Ad Dissert. prædec.

SECTIO PRIMA.

Quis convocavit Concilium Nicænum? Quis illi præfuit?

NOta 1. Nicæa, in qua hoc primum generale Concilium congregatum fuit, erat Metropolis Bithyniæ, non Nicæa Thraciæ; in qua ultima urbe Ariani, pendente Concilio Ariminensi, Concilium celebrarunt, ut nominum similitudine simpliciores deciperent, & hæreticam hujus Conciliabuli formulam pro Nicæna obtruderent.

Nota 2. Convocatum fuit hoc Concilium anno Æræ communis 325. Sylvestri SS. Pontificis 15. Constantini Imperatoris 20. Consulibus Paulino, & Juliano; & eodem anno absolutum. Ita ex Eusebio, qui illi aderat l. 3. de vita Constantini c. 14. ex Concilio Chalcedonensi act. 2. & ex Socrate l. 1. c. 9. & ex pluribus aliis. Quaproptèr emendanda sunt in hac parte Eusebii, & Cassiodori Chronica; itèm, & historia Sozomeni, quæ ad Pontificatum Julii primi celebrationem hujus Concilii refert, his verbis: *Julius Episcopus Romanus ætate ingravescente præpeditus fuit, sed Vitus, & Vincentius ejusdem Ecclesiæ presbyteri pro illo adfuere.* In nomine *Julii* mendum irrepsisse apertè ostendunt ex ipso Sozomeno Eruditi, & verisimilitèr conjectant Exscriptores loco *Poleos*, id est urbis, inadvertentèr legisse *Joulios*, ità ut sit legendum, non *Julius*, sed *urbis Romanorum Episcopus.* Textum Sozomeni depravatum sequuti sunt Nicephorus, & quidam alii. Adfuerunt huic Concilio 318. Episcopi præter plurimos Clericos, & Philosophos: adfuit Constantinus Magnus, qui infrà Episcopos, & non nisi ipsis annuentibus sedit.

Nota 3. Tribus de causis celebratum fuit Nicænum Concilium. 1. Ad componendas Ecclesiarum dissensiones circà tempus Paschatis celebrandi. 2. Ad extinguendum Meletii Schisma. 3. Et maximè ad damnationem hæreseos Arianæ.

Quod spectat 1. caput, quod disciplinæ erat, decrevit S. Synodus, Pascha esse celebrandum ubiquè Dominica proximè sequente Lunam decimam quartam primi mensis. Quoad 2. caput sancitum est, ut Meletius in propia civitate, nimirùm Lycopolitana, absquè ulla auctoritate, solo dignitatis, & offficii nomine contentus, maneret. Quoad 3. caput, de quo hìc agitur, Arius in Concilium vocatus, auditus, & hæreseos ac blasphemiarum convictus, maximè ab Athanasio adhùc Diacono, qui S. Alexandrum Alexandriæ Episcopum causa fidei tuendæ comitatus fuerat, anathemate confessus est, hæresis damnata, editumque fidei Symbolum, cui vox *homoousion* addita est: illud referunt Socrates, Theodoretus, Rufinus, & Athanasius libr. de fide ad Jovin. proùt hìc subjicio.

Symbolum Concilii Nicæni.

CRedimus *in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium, & invisibilium creatorem: & in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum, ex Patre natum, id est, ex substantia Patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum ex Deo vero; genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, quæ in cœlo, & quæ in terra. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit, & incarnatus est, & homo factus, passus est, sepultus est; et resurrexit tertia die; et ascendit in cœlos, et sedet ad dextram Patris; et iterùm venturus est judicare vivos, et mortuos. Et in spiritum sanctum.*

Deindè subjiciunt immediatè Patres adversùs Arianos: *Iis autèm, qui dicunt fuisse aliquandò tempus, cùm non esset, & ex iis, quæ non sunt, ortum, vel ex alia subsistentia aut substantia esse, vel creatum esse, vel converti aut mutari posse Filium Dei, istis Catholica, & Apostolica Ecclesia anathema denuntiat.*

His ità constitutis a Concilio circà hæc tria capita, Patres Synodici 20. Canones disciplinam spectantes ediderunt, circà quorum aliquos disputant Theologi, præsertim circà 3. de cœlibatu Clericorum, & circa 6. de Sede Alexandrina, quam Romanæ æquiparat quoad jura Patriarchica. De quibus legi possunt Baronius ad ann. 325. Cabassutius notitia Eccl. 4. sæculi. His notatis, occurrit in præsentiarum duplex quæstio. Quis convocavit hoc Concilium? Quis illi præfuit?

Dico 1. Constantinus magnus convocavit Concilium Nicænum, ex assensu tamèn S. Sylvestri Romani Pontificis. Prima pars

pars a nemine negatur; eaque constat ex ipsius Concilii Nicæni Ep. ad Ecclesiam Alexandrinam apùd Theodoretum l. 1. c. 11. ex Eusebio l. 3. de vita Constantini, ex Nicephoro l. 2. c. 14. & aliis.

Prob. 2. Pars 1. ex 6. Synodo generali act. 18. in sermone acclamatorio, ubi sic lègitur: *Arius divisor, & partitor Trinitatis insurgebat, & continuò Constantinus sempèr Augustus, & Sylvester laudabilis magnam atque insignem in Nycæa Synodum congregabant.* Et quamvis hæc verba non sint Concilii, sed illius, qui acclamationem recitavit; cùm tamèn dicta sint in Concilio, nemine reclamante, censetur Concilium, ea tacitè approbando, fecisse sua, indèque legitimè infertur hanc ejus fuisse sententiam.

Prob. 2. ex Rufino l. 1. hist. c. 1. ubi ait: *Tùm ille* (Constantinus) *ex sacerdotum sententia, apùd urbem Nicæam Episcopale Concilium convocat*: si ex sacerdotum sententia, indubiò ex sententia maximi, & primi Sacerdotis Romani Pontificis, qui his de rebus anno præcedente cum ipso Constantino tùnc Romæ existente egerat, & qui suos legatos, ut Concilio præessent, ut dicam modò, miserat.

3. Non est credibile, religiosissimum Principem, Sacerdotum, & Episcoporum observantissimum, summo Ecclesiæ Pontifice neglecto, convocasse Concilium contra usum trium priorum sæculorum, contra Canones, & jura Sedis Apostolicæ. 1. Contra usum trium priorum sæculorum: tribus enim primis sæculis soli Pontifices, & Episcopi Concilia convocarunt, nullo Imperatorum interveniente mandato; ut patet de Conciliis Apostolorum, quæ cæterorum fuerunt norma; itèm de Conciliis coactis contra Montanistas, contra Novatianos, & alios; itèm circa celebrationem Paschæ, & circa disciplinam; in quibus convocandis non intercessere Principes sæculares. 2. Contra Canones: Julius I. qui pòst Marcum successit Sylvestro in Ep. ad Orientales apùd Socratem l. 2. c. 13. dicit: *Canon Ecclesiasticus vetat, ne decreta absquè sententia Romani Episcopi Ecclesiis sanciantur*; seu ut vertit Cassiodorus in historia tripartita: *Non debere absquè sententia Romani Pontificis Concilia celebrari.* Et Concil. 8. Œcumenicum can. 17. damnat eos, qui dicùnt, *Non posse Synodum absquè Principali præsentia celebrari; cùm nusquàm sacri Canones convenire sæculares Principes in Conciliis sanxerint, sed solos Antistites.* Si autèm juxtà Canones per solos Antistites debeant Concilia celebrari, quidni & convocari? Et in Concilio Chalcedonensi actione 1. Legati summi Pontificis accusarunt Dioscorum Alexandr. quòd *Synodum ausus sit facere sine auctoritate Sedis Apostolicæ; quod*, inquiunt, *nunquàm licuit, nunquàm factum est.* Confer probationem 6. sequentis Conclusionis. 3. Contra jura Sedis Apostolicæ. Soli namquè Pontifici Romano ex institutione Christi competit jus convocandi Concilia generalia: ergo. Prob. Ant. Illi soli competit jus convocandi Concilia generalia, cui a Christo concredita est auctoritas in universam Ecclesiam. Atqui is est solus Pontifex Romanus Petri successor, cui dixit Christus: *Pasce oves meas.* De quo vide Cardinalem Jacobatium in 2. apparatu ad Concilia generalia. Undè Valentinianus Imperator Episcopis postulantibus, ut sibi fieret licentia in unum conveniendi ad doctrinam fidei ritè statuendam, respondit: *Sibi, qui unus e Laicorum numero erat, non licere se ejusmodi negotiis interponere: & ideò Sacerdotes, & Episcopi*, inquit, *quibus hæc curæ sunt, seorsùm per se ubicumquè eis libitum fuerit, in unum conveniant.*

Dices in 8. Synodo Oecumenica Constantinopol. IV. anno 869. Vicarii Orientalium sedium dixerunt: *Scitis, quia in præteritis temporibus Imperatores erant, qui congregabant Synodos, & ex toto terrarum orbe ad dispositionem hujusmodi causarum colligebant.* R. Imperatores præteritis temporibus convocasse Concilia, non summo jure, sed ex assensu, & dispensatione sanctissimi Pontificis; ità ut Concilium, ab Imperatore, vel alia quacumque potestate sæculari convocatum, nunquàm habitum sit pro legitimo, & œcumenico, nisi postquàm accessit consensus Romani Pontificis.

Repones: ipsimet Pontifices sæpè ab Imperatoribus petierunt, ut vel indicerent, vel indici permitterent Concilia: sic Liberius petiit a Constantino: ergo. R. Id petiisse Pontifices ab Imperatoribus, non quia non haberent potestatem indicendi Concilia, sed quia hanc potestatem plerumquè exercere non poterant absquè consensu Imperatorum; sive quia Imperatores favebant Hæreticis, & in Catholicos sæviebant, ut contigit in Constantino Ariano; sive quia, cùm tùnc Ecclesia nullius urbis aut Provinciæ haberet dominium, necesse erat, ut Imperatores aliquem locum concederent ad celebrationem Concilii; vel tandèm, quia L. *Conventicula* C. Tit. *de Episcopis, & Clericis*, cautum erat, ne conventus fierent absquè licentia Principis, quòd etiamnùm viget in pluribus Regnis.

Dico 2. Osius, Episcopus Cordubensis in Hispania, Victor (quidam legunt; *Vitus*, alii Bito, aut Vito) & Vincentius Presbyteri Romani præfuerunt Concilio Nicæno nomine Sylvestri sanctissimi Pontificis, cujus erant legati. Osium præfuisse huic Concilio, asserit S. Athanasius in Apologia & in Ep. ad solitarios, aliique passim. Id non negat Launojus, quem hìc, ut & in priori Conclusione habemus adversarium; sed negat, præfuisse nomine Sylvestri, & dicit præfuisse vel nomine Constantini, vel ob celebritatem nominis. Itèm non negat, Victorem & Vincentium adfuisse Concilio, sed negat præfuisse. Contra quem

Prob. Conclusio 1. Ex Gelasio Episcopo Cyziceno Auctore Græco 5. sæculi, qui l. 2. hist. Conc. Nicæni disertè asserit *Osium Sylvestri Episcopi maximæ Romæ locum obtinuisse una cum Romanis Presbyteris Victore & Vincentio.*

2. Ex Socrate l. 1. c. 9. ubi ait: *Aderat in hoc Concilio Osius Episcopus Cordubæ, Vitus & Vincentius Presbyteri, Alexander Episcopus Ægypti, Eustathius magnæ Antiochiæ, Jerosolymorum Macarius, &c.* Quæ verba, si attendatur ordo ab ipso Concilio constitutus inter Ecclesias, ut 1. loco sit Romana, 2. Alexandrina, 3. Antiochena, 4. Jerosolymitana, manifestè evincunt Osium, Vitum, & Vincentium, qui primo loco recensentur, nomine Romanæ Ecclesiæ præfuisse: alioquin Cordubensem Episcopum, & simplices Presbyteros Patriarchis non præposuisset.

3. Ex Epitome Canonum, quam Adrianus Papa Carolo Magno obtulit, in cujus præfatione sic legitur: *Sciendum est, Osium inter* 318. *Patres Nicæni Concilii honorabilem fuisse, atque ab Apostolica Sede cum Victore, & Vincentio Presbyteris destinatum.*

4. Ex Gregorio VII. c. 3. Apologetici: *Osius Cordubensis, Victor & Vicentius Presbyteri Romanæ Ecclesiæ, ex parte Sylvestri Papæ Nicæno Concilio præfuerunt.* Idem testantur Leo IX. in Ep. ad Michaëlem Patriarcham Constantinopol. Photius libr. de 7. Synodis, Hincmarus Remensis in opusculo contra Hincmarum Laudunensem, & alii.

5. Fatente Launojo, Osius præfuit Concilio Nicæno: atqui nullatenùs est verisimile, simplicem Episcopum Cordubensem totius mundi Episcopis, & Patriarchis personalitèr præsentibus præfuisse, nisi summi Pontificis legationem obiisset.

Respondet, ut jam dixi, Launojus, Osium præfuisse ut Legatum Constantini, vel ob merita & nominis celebritatem. At neutrum dici potest: non primum; quia Constantinus ipse personalitèr præsens aderat Concilio, neque Osio jus præsidendi Concilio conferre potuit, cùm ipse se illud non habere professus sit, sedens infra Episcopos, nec nisi ipsis annuentibus sedere volens. Non secundum; merita namquè, seu nominis celebritas valent equidèm ad conciliandam venerationem, non ad conferendum jus præsidendi Concilio, in quo ordo Hierarchicus maximè servari debet. Adde, quòd huic Concilio aderant plures Episcopi nusquàm Osio inferiores, sive sanctitatem, sive doctrinam spectes. Aderant quippè Paphnutius, Potamon, Spiridion, Jacobus Nisibis, & alii sanctitate, & persecutionum stigmatibus conspicui. Aderant Eusebius Cæsariensis, Eustathius Antiochenus, Alexander Alexandrinus, & alii doctrina præstantissimi.

6. Prob. Conclusio ratione, fundata in usu & Jure Ecclesiastico. Vel Osius, Victor, & Vincentius præfuerunt Concilio nomine Sylvestri, vel nullus hujus Pontificis nomine præfuit. Hoc secundum dici non potest: ergo primum. Major est evidens; quia nullus alius pratèr tres laudatos assignatur, aut assignari potest, qui nomine Sylvestri Concilio præfuerit. Prob. Minor 1. Ex Julio I. Ex Concilio Chalcedon. Ex Constantinop. IV. & aliis momentis laudatis in 3. probatione prioris Conclusionis. 2. Concilium Romanum ex Epistolis Italiæ; & Galliæ sub Damaso Papa Liberii successore rejicit authoritatem Concilii Ariminensis, eo quòd Liberius illi non præfuerit: sic autèm scribit in Ep. Synodica ad Illyricos apùd Theodoretum l. 2. c. 22. *Si quidèm numerus Episcoporum, qui erant Arimini in unum congregati, præjudicii vim habere non debet: præsertim cùm formula composita sit, neque Episcopo Romano, cujus sententia præ cæteris omnibus expectanda erat, neque aliis eidem consentientibus.* 3. Patres quinti Concilii generalis cum Justiniano Imperatore nullum non moverunt lapidem, ut Vigilius Papa suo Conventui adesset & præesset, probè scientes alioquin suas sanctiones irritas fore. Hinc Synodus septima Oecumenica, reprobans Concilium Iconomachorum sub Constantino Copronymo, hanc rationem affert: *Non habuit*, inquit, *adjutorem illius temporis Romanorum Papam... quemadmodùm edicit lex Conciliorum.* Omitto, quæ in ejusdem veritatis assertionem ex Jure divino proferri possunt, quia non sunt hujus loci & temporis. Nùnc sufficit nobis, tùnc viguisse legem Ecclesiasticam nullum Concilium generale celebrandi absquè præsidentia summi Pontificis; ex quo legitimè infertur, Sylvestrum per suos Legatos præfuisse Nicæno, alioquin nullius fuisset roboris; & Ariani, qui nihil non tentarunt, ut hujus Conci- lii

lii auctoritatem elevarent, indubiè hanc nullitatis causam objecissent, scilicèt Pontificem Romanum illi non præfuisse.

Dices 1. Proculus Episcopus Constantin. in litteris Synodicis ad Orientales apùd Facundum Hermianensem libr.8. cap. 1. & ipse Facundus libr. 11. cap. 1. dicunt, quòd Eustathius Antiochenus Patrum Nicænorum *primus extiterit*, & Felix III. in Ep. 5. ad Zenon. Imperat. vocat Eustathium *Præsidentem* 318. *Patrum, qui in Nicæa convenerant*: ergo. R. Eustathium dici primum, non auctoritate, sed doctrina, & eloquentia; itèm dici præsidem, seu præfuisse, non quòd fuerit absolutè primus, ipsum enim antecedebat Patriarcha Alexandrinus; sed quòd fuerit inter primos, utpotè tertiæ Sedis Patriarcha. Præesse enim dicuntur aliquandò omnes primarum sedium Antistites. Sic Cedrenus in compendio Historiarum: *Præerant ei*, inquit, *Sylvestri Papæ Romani locum tenentes, Vitus, et Vincentius Presbyteri, Metrophanes Bysantii, Alexander Alexandriæ, Eustathius Antiochiæ, et Macarius Jerosolymorum Episcopi.* Similitèr Nilus Metropolita Rhodius in libello de Synodis.

Inst. Juxtà Euseb. l. 3. De vita Constantini c. 11. & Theodoret. l. 1. c. 5. Eustathius Antiochenus primam sedem in dextro ordine occupabat: ergo. R. Primam sedem in dextro ordine non fuisse honoratiorem, sed primam in sinistro ordine. Id patet ex Conc. Chalcedonensi, in cujus actione 1. sic legitur dispositus Patrum consessus, ut a sinistris sederent Legati Sedis Apostolicæ, & pòst ipsos Patriarchæ Constantinopolitanus, & Antiochenus; a dextris Dioscorus Alexandrinus, & Juvenalis Jerosolymitanus. Hujus autèm moris plures adferuntur rationes, inter quas hæc nobis arridet, quòd in medio consessûs Episcoporum, sancta Evangelia, quæ Christi Typum gererent in sublimi loco collocarentur, ità ut qui a parte sinistra sederent, a dextris Christi essent.

Dices 2. Sozomenus l. 1. hist. c. 16. recensens primarum sedium Antistites, ultimo loco ponit Sylvestrum Romanum, quem dicit ætate gravatum non adfuisse Concilio, sed misisse Legatos: ergo. R. Sozomenum ordinem Hierarchicum sedium Patriarchalium in sua narratione non servasse, sed inverso ordine incepisse ab inferioribus, & desiisse per supremum. 1. namque loco recenset Macarium, qui in ordine Hierarchico Patriarcharum est ultimus. 2. loco Eustathium Antiochenum, qui est tertius; & 3. loco Alexandrum Alexandrinum, qui est secundus; demùm Episcopum Romanum, qui est primus.

Dices 3. Patres Nicæni in Ep. Synodica ad Ecclesiam Alexandrinam dicunt, Alexandrum illius Ecclesiæ Episcopum rebus decisis præfuisse: ergo. R. 1. Juxtà Interpretes non legi in textu græco, *Præfuisse*, aut *Præsidem*, sed legi, *Gestorum auctorem*. 2. Dato, legendum esse *Præfuisse*, aut *Præsidem*, ità loquuti sunt Patres, non quòd Alexander præfuerit antè Legatos SS. Pontificis, sed quia fuit maximæ auctoritatis in Concilio duplici ratione. 1. quia erat secundæ sedis antistes. 2. quia illi præ cæteris innotescebant status Ecclesiæ Alexandrinæ, & mala ipsi impendentia ex factione Arii, & Arianorum, qui ex ejus sinu eruperant; ideòque multa suggessit, & suasit pro redintegranda pace suæ Ecclesiæ, & extinguenda hæresi. Id indicant ipsi Patres Nicæni his aliis ejusdem Epistolæ verbis: *Permultum laboris suscepit, quo Ecclesiæ vestræ statum ad tranquillitatem traduceret.*

SECTIO SECUNDA.

Utrùm vox Homoousion, *seu* Consubstantialis, *convenientèr inserta sit Symbolo Nicæno.*

RESpondeo affirmativè. Prob. Hæc vox significat Filium non solùm esse similem Patri, sed esse ejusdem prorsùs naturæ, & essentiæ, quod est Fides Catholica, & ideò ad Hæresim Arianam, quæ Filium in ordinem creaturarum redigebat, profligandam, apprimè idonea: ergo fuit convenientèr apposita.

Confirmatur: Ariani aliis vocibus abutebantur: cùm enim dicerent Patres Nicæni, Filium esse ex Deo, annuebant Ariani, sed intelligebant esse ex Deo, sicùt omnes aliæ creaturæ sunt ex Deo, qui omnia fecit. Cùm dicerent Patres, Filium esse similem Patri; & hoc admittebant Ariani intelligentes esse similem Patri, sicùt homines, qui dicuntur facti ad imaginem, & similitudinem Dei. Itèm, cùm dicerent Patres Filium esse in Deo, esse invariabilem, esse sempèr, esse verum Deum, concedebant Ariani hæc omnia posse dici de Filio, quia hæc omnia dicuntur paritèr de hominibus in Scriptura: *esse in Deo: in eo vivimus, movemur, et sumus.* Act. 17. Esse invariabilem, *quis nos separabit a charitate Christi.* Rom. 8. Esse sempèr: *sempèr enim nos, qui vivimus.* 2. Cor. 4. *Esse verum Deum*, qui factus est verus Deus in tempore principatu virtutis. Quapropter *Episcopi*, inquit Athanasius in Ep. de Nicænæ Synodi decretis, *considerata illorum hypocrisi, et vafritie, ipsi quoquè necessitate coacti sunt...quæ priùs dixerant, apertioribus verbis repetere, et scribere, Filium esse consubstantialem Patri.*

Objiciebant Ariani 1. hanc vocem *homoousion* non reperiri in Scripturis. 2. esse novam in Ecclesia. 3. damnatam olim fuisse in Conc. Antiocheno contra Paulum Samosatenum. 4. præbere occasionem multiplicis erroris; quidam enim per illam intelligebant unicam personam. Alii substantiam personis priorem, quæ illis deindè communicaretur. Alii substantiam, quæ in tres esset divisa portiones, tribus personis adscriptas, ut colligitur ex Hilario libr. de Synodis: ergo.

Ad 1. R. estò hæc vox non reperiatur in Scripturis quoad sonum, reperitur saltèm quoad sensum, ut probat S. Athanas. libr. de Synodi Nicænæ decretis, ex variis Scripturæ locis, & maximè ex his: *Ego, & Pater unum sumus*; & *Pater in me est, & ego in Patre*; idem est si dicat, inquit S. Doctor, *Ego ex Patre sum, & indivisibilis ab illo.*

Ad 2. N. Nàm Theognostus, & uterque Dionysius, Romanus, & Alexandrinus, qui antè Concilium Nicænum scripserunt circa ann. 266. *Filium ex Patris substantia productum, & Patri consubstantialem dixerunt*; teste S. Athanasio libr. de Synodi Nicænæ decretis. Quin imò Dionysius Alexandr. in Ep. ad Paulum Samosat. testatur, etiàm a Patribus antiquioribus Filium esse dictum Patri consubstantialem, *quem*, inquit, *sancti Patres homoousion Patri vocaverunt.*

Ad 3. D. Vox *homoousion* fuit damnata a Conc. Antiocheno in sensu Pauli Samosateni, transeat: in sensu Concilii Nicæni, N. Paulus Samosatenus Episcopus Antiochenus circa medium 3. sæculi juxtà S. Athanasium libr. de Synodis Arimini, & Seleuciæ intelligebat hanc vocem ad instar substantiarum corporearum, quæ, dùm dicuntur consubstantiales, intelliguntur ejusdem substantiæ quoad speciem tantùm, non quoad numerum, seu individuum. *Si Christus non ex homine Deus factus est*, inquit apùd. S. Athanas. cit. *igitùr consubstantialis est Patri, & necessariò sequitur esse tres substantias, unam quidèm, quæ prior sit ut Princeps, reliquas verò duas ex ea oriundas.* Et nota, Paulum hæc dicere non ex propria sententia; cùm enim ipse vellet Christum esse purum hominem, non potuit dicere ipsum esse consubstantialem Patri; sed ex sententia Catholicorum, arguendo contra ipsos ab inconvenienti: cùm enim Catholici dicerent, Christum esse verum Deum, non ex homine, sed ex Patre Deo genitum, inferebat Paulus tanquàm grave inconveniens: ergo secundum vos est consubstantialis Patri, sicque sunt tres substantiæ divinæ, intelligendo scilicèt *homoousion*, seu consubstantiale corporalitèr, ut dictum est; & hoc sensu Synodus Antiochena negavit, Filium esse consubstantialem Patri. Juxtà S. Epiphanium Hær. 65. & quosdam alios Paulus vocem *homoousion* intelligebat sensu Sabelliano, ità quòd significaret, non tantùm unam naturam in Deo, sed etiàm unam personam. Quidquid sit, certum est neutro sensu Concilium Nicænum hanc vocem intellexisse, sed hoc sensu, quòd Verbum esset ejusdem, & individuæ naturæ cum Patre, distincta tamèn persona a Patre.

Permisi tanquàm quid dubium, hanc vocem *homoousion* esse a Conc. Antiocheno damnatam contra Samosat. quia quidam recentiores non omninò improbabilitèr existimant non fuisse damnatam. 1. Quia in accuratioribus Editionibus Conciliorum, qualis est Labbeana, nulla fit mentio hujus damnationis in actis utriusque Concilii Antiocheni contra Paulum Samosat. 2. Quia in 1. Concilio Antiocheno acceptata fuit Epistola Dionysii Alexandrini contra Paulum Samosat. in qua expressè de Christo legitur: *Quem sancti Patres Homoousion Patri vocaverunt*, & in margine notatur: *En verbum homoousii apùd Patres antè Concilium Nicænum.* Fuit ergo acceptatum hoc vocabulum a Concilio; si acceptatum, quomodò damnatum? Hinc suspicantur, Arianos acta alicujus Synodi Antiochenæ, vel depravasse, vel supposuisse, & hinc deceptos fuisse Athanasium, Hilarium, & alios, qui scripserunt hanc vocem a Concilio Antiocheno contra Paulum Samosat. fuisse damnatam.

Ad 4. R. hanc vocem non præbuisse occasionem erroris, nisi per accidens, & iis, qui non attenta explicatione Concilii pertinaciùs suo sensu adhærebant. Nàm Patres Niceni suis explicationibus omnem sustulerant ambiguitatem, ut fatetur ipse Eusebius Cæsar. apùd Theodoret. l. 1. c. 12. Et testantur S. Athanasius libr. de Nicænæ Synodi decretis, & Hilarius de Synodis, ità ut nec ab ipsis Paulianistis, tùnc adhùc superstitibus, ad pravum sensum potuerit detorqueri.

Repones, vox *homoiousion*, id est, similis substantiæ, fidem Ecclesiæ sufficientèr exprimebat: ergo minùs convenientèr usurpata est vox *homousion*, quæ etiàm Catholicis aliquibus fuit offensioni. Prob. Ant. S. Athanasius, & S. Hilarius de Synodis agnoscebant pro Catholicis illos, qui rejecto *homoousion*, admittebant *homoiousion*, quales erant Meletius Antiochenus, Basilius Ancyranus, Eusebius Samosatenus, & quidam alii: ergo.

Ergo. R. 1. Dato, per vocem *Homoiousion* sufficientèr exprimi fidem Ecclesiæ, ea tamèn abutebantur Ariani, ideoque eorum subterfugiis erat occurrendum per aliam vocem, quæ luculentiùs fidem Ecclesiæ exprimeret, qualis est *Homoousion*. R. 2. N. Ant. Quia, quod est simile alteri in substantia, potest ab eo separari, & numero distingui, sicùt Filius a Patre; sunt enim similes in substantia, sed ab invicèm sejuncti, non unus, & idem numero in substantia, sicùt est Filius æternus cum Patre.

Ex his verò, qui rejecto *Homoousion* admittebant *Homoiousion*, & dicebantur semi-Ariani, illos tantùm Athanasius & Hilarius habebant pro Catholicis, qui ex vano timore rejiciebant *Homoousion* quoad sonum vocis dumtaxàt, ejus tamèn sensum cum Catholicis admittebant, quales erant tres laudati, & quidam alii; indè tamèn quandoquè hæreseos suspicione laborabant: undè Hilarius libr. de Synodis ipsos sic alloquitur: *Ariani non estis: cur negando homoousion censemini Ariani?* Alii autèm semi-Ariani, qui sic pro *Homoiousion* decertabant, ut *homoousion* quoad vocem, & quoad sensum respuerent, habiti sunt sempèr hæretici.

DIGRESSIO SECUNDA HISTORICA
de Liberii lapsu.

Ad præced. Dissert.

NOta 1. Julio I. successerit Liberius ann. 352. propter Nicænæ fidei, & Athanasii defensionem in exilium missus a Constantio Beroeam Thraciæ. Ex Theodoret. l. 2. cap. 16. Ann. 357. Constantio triumphum agente, matronæ Romanæ reditum Liberii ab eo petierunt: annuit Imperator ea conditione, ut cum Felice, qui in ejus sedem fuerat intrusus, Ecclesiam regeret, reclamante populo: *Unus Deus, unus Christus, unus Episcopus*: ex eod. cap. 17. Cœterùm non priùs Liberio facta est a Constantio licentia Romam redeundi, quàm S. Athanasii damnationi & formulæ fidei sibi ab hæterodoxis oblatæ subscriberet, quod tædio exilii fractus præstitit 1. Beroeæ vertente ann. 357. 2. Sirmii: cui autèm formulæ subscripserit, & utrùm fuerit hæreticus, hic inquirimus: pro quo

Nota 2. Duplex Sirmii, civitatis Hungariæ, vulgò *Sirmich*, Concilium celebratum esse contra Photinum, qui hæresi Pauli Samosateni, *Quòd Christus non fuerit antè Mariam*, innovabat: primum a Catholicis ann. 349. secundum a semi-Arianis ann. 351.

Nota 3. Tres circumferri fidei formulas Sirmienses: prima edita græcè in II. Concilio Sirmiensi ann. 351. sic habet 1. Anathematismo: *eos, qui dicunt ex non ente, aut ex alio subsistente, & non ex Deo, Filium extitisse, aut quod tempus aut ætas fuit, quandò ille non erat, alienos a se censet sancta, & catholica Ecclesia.* Ultimo vero Anathematismo sic: *Si quis Christum Deum Filium Dei antè sæcula, administrumque ad universitatis opificium fuisse, neget; sed ex quo tempore e Maria genitus est, Christum, & Filium appellatum fuisse, & principium suæ deitatis tùm accepisse dicat; Anathema esto.* Hanc ceu Catholicam exponit S. Hilarius libr. de Synodis, uti reverà est, si consideretur in se, licèt a semi-Arianis exarata, & ideò a S. Athanasio inter formulas Arianorum recensita.

Secunda fidei formula latinè edita est Sirmii ann. 357. sex annis pòst II. Concilium, in conventu paucorum Episcoporum, & est purè Ariana, sic legitur: *Cæterùm, quia multos commovet vox, latinè quidèm dicta substantia, græcè autèm* Ousia, *hoc est, ut diligentiùs cognoscatur, illud, quod* Homoousion *aut* Homoiousion *dicitur, nullam earum vocum mentionem debere fieri, neque de eis sermocinandum in Ecclesia censemus, quòd de iis nihil sit scriptum in sacris litteris, & quòd illa hominum mentem, & intellectum transcendant...Nulli verò ambiguum, Patrem majorem esse: neque ut quòd quisquam dubitet, Patrem honore, dignitate, deitate, atque ideò ipso nomine paterno majorem esse..... Filium verò Patri cum omnibus, quæ illi Pater subjecit, subjectum esse.*

Tertia fidei formula edita est etiàm latine Sirmii octo annis pòst II. Concilium, scilicèt 359. sic loquitur: *Vocabulum porrò substantiæ, quia simpliciùs a Patribus positum est, a populis ignoratur, & scandalum affert, eo quòd in Scripturis non contineatur; placuit, ut de medio tolleretur, & nullam posthàc de Dei substantia mentionem esse faciendam, eò quòd Sacræ Scripturæ nusquàm meminere substantiæ Patris & Filii. Filium autèm Patri per omnia similem dicimus, quemadmodùm Sacræ Litteræ dicunt & docent.* Hæc a Valente, & Ursacio ad Concilium Ariminense perlata est, ut testatur S. Athanasius libr. de Synodis. Certum est, Liberium huic non subscripsisse, cùm pòst ejus reditum Romam, fuerit adornata; rediit enim Romam 2. Augusti 358. restat ergo difficultas de 1. & 2. cui subscripserit Liberius.

Dico: Secundæ formulæ Sirmiensi non subscripsit Liberius, sed primæ, quæ contra Photinum edita fuerat.

Prob. 1. Formula Sirmiana, cui subscripsit Liberius Beroeæ secundum S. Hilarium in fragmentis conscripta est a Narcisso, Theodoro, Basilio, Eudoxio, Demophilo, Cecropio, Sylvano, Hrsacio, Valente, aliisque, quos 22. recenset S. Præsul; atqui Præsules illi 22. secundam formulam Sirmiensem non conscripserunt, sed primam: ergo, &c. Prob. Min. 1. Basilius Ancyranus hujus secundæ formulæ nec author, nec approbator fuit, quam vix in lucem emissam damnavit in Synodo Ancyrana. 2. Theodorus Heracleensis obierat ann. 355. duobus annis antè editionem hujus secundæ formulæ. 3. Teste Sozomeno l. 4. cap. 18. hæc secunda formula ab Occidentalibus edita fuerat: ergo illi cudendæ operam non dederunt Cecrops Nicomediæ, Eudoxius Germanicæ, & alii, qui Orientales erant. Tandèm accedit, quod nomen Germinii Sirmiensis Episcopi, qui cum Ursacio, & Valente in secunda formula conscribenda allaboravit, inter illos 22. ab Hilario nominatos non legatur, sicùt nec Osii, Potamiique nomina, qui eidem secundæ formulæ subscripserunt: ergo illi 22. Antistites, quos recenset S. Hilarius, non conscripserunt secundam formulam Sirmiensem, sed primam.

Prob. 2. Liberius exul Beroeæ illi formulæ subscripsit, quam ipsi obtulit Demophilus, ut ipse Liberius testatur scribens ad Orientales; atqui hæc, non secunda, sed prima Sirmiensis fuit; Demophilus enim erat semi-Arianus; semi-Arianis autèm ita displicuit secunda formula a puris Arianis, Ursacio, Valente, Germinio scripta, ut ejus suppressionem a Constantio impetraverint: ergo.

Prob. 3. Liberius, Beroeæ Sirmium vocatus a Constantio subscripsit alteri formulæ, sibi ab eodem Constantio oblatæ ex consilio Basilii Ancyrani, & aliorum semi-Arianorum; atqui hæc etiàm non erat secunda formula Sirmiensis purè Ariana: ergo. Prob. Min. 1. Cùm Anomæi, seu puri Ariani, vulgassent Liberium Beroeæ, non secùs ac Osium, damnasse *homoiousion* seu *similem*, & suscepisse *anomoion* seu *dissimilem*, quod erat dogma hæreticum in secunda formula traditum, Liberius, ut huic falso rumori occurreret, subjecit formulæ, quæ tùnc illi oblata fuit, & cui subscripsit, anathema contra eos, qui negabant Filium esse Patri similem in substantia, teste Sozomeno l. 4. c. 15. ergo neque Beroeæ, neque Sirmii subscripsit Liberius formulæ, quæ negabat Filium esse similem Patri in substantia, qualis erat secunda formula Sirmiensis. Prob. 2. eadem Min. Rumorem, quem Anomæi sparserant, Liberium Beroeæ damnasse *homoiousion*, & suscepisse *anomoion*, Sozomenus cit. vocat falsum; atqui non fuisset falsus, si Liberius Beroeæ subscripsisset secundæ formulæ, utpotè quæ id ipsum hæreticum dogma continebat: ergo. Prob. 3. eadem Min. Formula, cui subscripsit Liberius Sirmii, fuit ipsi oblata a Constantio ex consilio Basilii Ancyrani, & aliorum semi-Arianorum; atqui hæc certò certiùs non erat secunda formula Sirmiensis, eam enim tùnc suppresserat Constantius, atque Eudoxium cum aliis Anomæis Antiochia expulerat, & Basilius Ancyranus, atque alii semi-Ariani erant hujus secundæ formulæ hostes infensissimi: ergo.

Si petas: cui ergo formulæ Liberius Sirmii subscripsit? non primæ, jam enim secundum nos illi subscripserat Beroeæ: non secundæ, ut contendimus: non etiam tertiæ, quia tùnc nondùm erat exarata. R. Subscripsisse, juxta Sozomenum citatum cuidam collectioni continenti primam formulam Sirmiensem contra Photinum, formulam aut acta Concilii Antiocheni contra Paulum Samosatenum, & formulam alterius Concilii Antiocheni in Enceniis, ann. 341. celebrati.

Si urgeas: ut quid ergo Constantius cum semi-Arianis exegit a Liberio novam subscriptionem, si nihil amplius admiserit Sirmii pro Arianismo, quàm admiserat Beroeæ? R. Constantium & semi-Arianos duplici de causa novam subscriptionem a Liberio exegisse. 1. Ut falsum, de quo suprà, Anomæorum rumorem, quòd Liberius cum ipsis *dissimilem* profiteretur, dissiparent, & ideò Liberius in fine subscriptionis subjecit anathema contra hunc purum Arianismum, ut dictum est. 2. Cùm semi-Ariani non possent adigere Liberium, ut apertè cum ipsis damnaret *homoousion*, dolo egerunt, & oblata collectione continentè inter cætera acta Concilii Antiocheni contra Paulum Samosat. obtinuerunt saltèm, ut Liberius subscriberet huic Concilio Antiocheno, in quo *homoousion* ad sensum Pauli fuerat damnatum, ut sic divulgare possent, ipsum sanctissimum Pontificem damnationi *homoousion* subscripsisse.

Dices insupèr: 1. S. Hilarius libr. *fragmentorum*, formulam Sirmiensem, cui subscripsit Liberius, vocat *perfidiam Arianam*, atque ob eam subscriptionem pluriès Liberium ibidèm anathemate ferit; atqui S. Hilarius primam formulam non potuit vocare Arianam, quam ut Catholicam agnovit & exposuit: ergo.

2. S. Hieronymus tàm in Catalogo Script. Ecclesiast. c. 97. quàm in Chronico, testatur Liberium Hæresi subscripsisse: *Liberius*, inquit in Chronico, *tædio victus exilii, in hæreticam pravitatem subscribens, Romam quasi victor intravit*; atqui prima formula Sirmiensis non erat hæretica, sed secunda: ergo

Idem

Idem legitur in Breviario Romano in Festo S. Eusebii Presbyteri & Confess. 14. Augusti, & in aliis Auctoribus.

3. S. Athanasius Ep. ad Solitarios innuit, Liberium subscribendo retractasse suum pristinum in Hæresim odium: ergo Hæresi subscripsit.

Ad 1. R. 1. Multis videri, hìc, sicùt in multis aliis, esse interpolatum librum fragmentorum S. Hilarii, hæcque verba, *hæc est perfidia Ariana*, & anathematismos sequentes mendosè in eo irrepsisse: quia, cùm hunc librum scriberet S. Hilarius (scripsit enim pòst Conc. Ariminense) Liberius resipuerat, & fidem Nicænam contra Conc. Ariminense strenuè propugnabat, ut testatur Damasus Papa in Ep. ad Illyricos Episcopos apud Theodoret. l. 2. hist. Eclesiast. cap. 22. undè jure non poterat tùnc S. Hilarius ipsi, ut Apostatæ & prævaricatori anathema dicere.

R. 2. Esto hæc dicta esse S. Hilarii, N. Min. quamvis enim prima formula, secundùm se & verbis tenùs spectata, sit Catholica, & sic sumptam ut Catholicam agnoverit Hilarius, potuit tamen etiam eam vocare perfidiam Arianam, quia ab Arianis erat composita, & eo consilio, ut tacito nomine *homoousion*, Concilium Nicænum, doctrinamque consubstantialitatis abrogarent: quòd igitùr Liberius huic captiosæ formulæ ab Hæreticis in eversionem fidei compositæ subscripserit, quodque cum iis communicaverit, sanctumque Athanasium, cujus causa cum fidei causa erat conjuncta, damnaverit, ipsi ut Apostatæ & Prævaricatori anathema dicit.

Ad 2. R. similitèr S. Hieronymum, & alios dicere Liberium subscripsisse hæreticæ pravitati, non quòd subscripserit formulæ, quæ secundùm se spectata esset hæretica, sed quòd subscripserit formulæ ab Hæreticis conscriptæ, & ea intentione ut Hæresim foverent, quòd communicaverit cum Hæreticis, & Athanasium fidei causam propugnantem damnaverit.

Ad 3. similitèr: Liberius retractavit pristinum odium in hæresim, non eam profitendo, sed communicando cum Hæreticis, & subscribendo formulæ ab Hæreticis confictæ.

Petes, quid sit censendum de Osio, fidei Nicænæ, & S. Athanasii aliquandò præcipuo Defensore, totque meritis insigni, ut magnus Osius ubiquè proclamaretur. R. ipsum centenarium mandato Constantii Sirmii exulem, ibique injuriis & verberibus afflictum, tandèm perfidiæ Arianæ consensisse subscribendo secundæ formulæ Sirmiensi Hæreticæ. Id constat ex S. Hilar. l. de Synodis, S. Epiphan. Hær. 73. Severo Sulpit. l. 2. de aliis: Attamèn non esse defunctum in Hæresi, testatur S. Athanasius in Ep. ad Solitarios, ubi de illo loquens dicit: *Moriturus quasi in testamento suo eorum* (scilicèt Arianorum) *vim protestatus est, & Arianam Hæresim condemnavit, vetuitque eam a quosquam probari, aut recipi.* Et ibid. atque in Apolog. de fuga sua, de Osio jam mortuo magnificentissimè loquitur. Itèm Aug. l. 1. contr. Parmenianum cap. 4. 5. & 8. supponit, Osium in Communione Ecclesiæ obiisse.

Undè non sunt hìc magis audiendi Faustinus & Marcellinus Luciferiani Schismatici, contrarium asserentes in suo libello, Theodesio Imperatori oblato, quàm dùm ibidèm putidas calumnias in SS. Athanasium & Hilarium evomunt. Si dicas, idem legi in S. Isidoro Hispalensi *de Viris illustribus*, R. hoc opus non esse S. Isidori Hispalensis, cùm illius non meminerit S. Ildephonsus, omnia S. Isidori opera recensens in alio libro *de Viris illustribus*.

DIGRESSIO TERTIA HISTORICA
de Concilio Ariminensi.

Utrùm Patres Ariminenses subscripserint Hæresi Arianæ?

Ad Dissert. præced.

CONSTANTIUS, controversiarum fidei dirimendarum causa, Synodum Œcumenicam Arimini indicit ann. 359. Sed Arianorum consilio in duas partes dividit, assignata Occidentalibus urbe Ariminensi, vulgo *Rimini*, in Italia; Orientalibus Seleucia in Isauria. Ariminum convenerunt 400. circitèr Episcopi: inter Catholicos eminebant Restitutus Carthagin. Phæbadius Aginensis, Servatius Tungrensis. Inter Arianos & semi Arianos, qui 80. circiter aderant, Ursacius, Valens, Auxentius, Demophilus, Geminius. Ex Athanas. libr. de Synod. Socrat. l. 2. c. 29.

Seleuciam convenerunt Episcopi 160. scilicèt semi-Ariani 105. quorum præcipui erant Basilius Ancyranus, Sylvanus Tharsensis, Gregorius Laodicenus, Macedonius Constant. Eustathius Sebasteaus, &c. Ariani 40. quorum caput erat Acacius Cæsareensis. Catholici 15. circitèr, inter quos, divina sic disponente providentia, aderat Hilarius Pictaviensis, a 4. annis jam exulin Phrygia: Semi-Arianis acritèr propugnantibus similitudinem Filii in substantia, Anomæis seu Arianis eam acritèr impugnantibus, re infecta dimissum est Concilium a Leone Præfecto. Ex Hil. libr. contr. Constantium. Socr. l. 11. cap. 4. Sever. Sulpit. l. 2.

Arimini verò congregatis Patribus, Ursacius, & Valens obtulerant formulam tertiam Sirmiensem a Concilio probandam, quam rejecerunt Patres Orthodoxi, soli Nicænæ adhærentes, simùlque Ursacium, Valentem, Auxentium, Germinium, Caium, & Demophilum damnarunt, Ep. Synodica per Legatos ad Constantium de his omnibus informandum missa: apùd Athanas. l. de Synodis.

At verò Ursacius & Valens Legatos Orthodoxorum apùd Imperatorem prævertunt, ejusque animum obtrectationibus in Concilium adversùs Orthodoxos exasperant. Hìnc minis, precibus, repulsu, procrastinatione, effectum est, ut Constantius Legatis Orthodoxis persuaserit subscribere formulæ Fidei Nicænæ in Thracia ab Arianis confictæ, & ut Arianis communicarent, recissa sententia in Ursacium, Valentem, & alios Arimini lata. Porrò hæc formula in omnibus convenit cum tertia formula Sirmiensi, hoc excepto quòd in Sirmiensi dicatur *Filius per omnia similis Patri*: In Nicæna verò, *similis Patri, qui cum genuit secundùm Scripturas.* Soc. l. 2. cap. 29. Sozomen. l. 4. cap. 18.

Intereà Imperator Epistola data mandat Præfecto Taurino, ne sinat Concilium dimitti, quousquè omnes eidem formulæ fidei subscripserint; reluctantes, si plures non essent, quàm quindecim, exilio multaret. Sever. Sulpit. l. 2.

Suos Legatos Ariminum redeuntes statim a sua communione repulerunt Patres Orthodoxi; sed tandèm Imperatoris minis, Præfecti suasionibus, Ursacii & Valentis fraudibus, partim etiàm diuturnioris a suis Ecclesiis absentiæ tædio fracti, eidem formulæ subscripserunt, & Arianis communicaverunt, exceptis 20. quorum præcipui erant Phæbadius & Servatius: hoc instantiùs urget Taùrinus, arte & simulatione submovet Valens, protestatur se non esse Arianum, in publico cætu cum omnibus Orthodoxis execratur blasphemias Arii: offert nostris, inquit Sulpit. Sever. l. 2. *Si quid minùs plenè præsenti fide editum videretur, ipsi adderent, quæ addenda putarent: præbituros se in his, quæ essent abjecta, consensum. Favorabilis promissio pronis omnium animis excepta, nec ultrà nostri repugnare ausi, jam quoquo modo finem rebus imponere cupientes. Deìn conceptæ a Phæbadio & Servatio professiones edi cæpere, in quibus primum damnatur Arius, totaque ejus perfidia; Patri æqualis et sine initio; sine tempore, Dei Filius pronuntiatur. Tùm Valens tanquàm nostros adjuvans subjecit sententiam, cui inerat dolus, Filium Dei non esse creaturam sicùt cæteras creaturas; fefellitque audientes fraus professionis.* Ad eam enim Orthodoxi, vi, minis, instantiis urgentissimis & tædio victi, non satis attendentes, nihil aliud his verbis significari existimarunt & voluerunt, quod & in animis habebant, quàm quòd Filius non esset creatura, & quòd omnibus creaturis dignitate præcelleret. Sed, hac professione admissa & dimisso Concilio, statim triumphum cecinere Ariani, palàmque propalarunt traxisse se in plenaria Synodo omnes adversarios ad profitendum propriis scriptis Filium Dei esse intrà ordinem creaturarum, cæteris quidèm excellentiorem, sed tamèn creata excellentia. Legendi Socrat. & Sozomen. citati, S. Athanas. Epist. ad Africanos, S. Hilarius in fragmentis, & S. Hieronymus contra Luciferianos. Quæritur hìc, utrùm Patres Ariminenses hæresi subscripserint, fuerintque hæretici?

Dico: Patres Ariminenses non subscripserunt hæresi Arianæ. Patet ex dictis, & explicatiùs probatur. Si Patres Ariminenses hæresi Arianæ subscripsissent, eamque fuissent professi, id foret vel ratione formulæ Sirmiensis seu Nicænæ, vel ratione propositionis subdolè insertæ a Valente, quòd *Filius non sit creatura, sicùt aliæ creaturæ*, quibus subscripsere; atqui neutrum dici potest: ergo. Prob. Min. Et 1. Quantùm ad formulam Sirmiensem seu Nicænam, qua dicebatur *Filius similis Patri secundùm Scripturas*, nihil fidei contrarium continebat secundùm sensum obvium verborum, ut exponit Hieronymus in Dialog. contr. Luciferianos: *Sonabant*, inquit, *verba pietatem, et inter tanta mella præconii nemo venenum insertum putabat.* In ea quidèm silebatur nomen Ousiæ & consubstantialis: sed inquit ibid. Hieron. *Verisimilis ratio præbebatur, quia in Scripturis, ajebant, non invenitur, et multos simpliciores novitate sua scandalizat, placuit auferri. Non erat cura Episcopis de vocabulo, cùm sensus esset in tuto.*

Quantùm ad propositionem, subdolè insertam a Valente, *Quòd filius non sit creatura, sicùt aliæ creaturæ*, non significat absolutè, quòd sit creatura; de eo enim, quod non est creatura potest verè dici, quòd non sit creatura sicùt aliæ creaturæ; ità ut sensus sit: non est ens creatum sicùt alia entia, quæ sunt verè creata; sicùt de justo verè dicitur: non obsecundat suis passionibus, sicùt alii peccatores, id est, sicùt alii homines, qui sunt peccatores. Et licèt tò *Aliæ* videatur insinuare, quòd ipse etiàm sit creatura, atque ideò propositio saltèm sit æquivoca,

ca, quia tamèn in formula Sirmiensi, seu Nicæna expressè dicebant heterodoxi se *se credere in unigenitum Dei Filium, qui antè omnia sæcula & antè omne principium natus est ex Deo:* Et Valens in publico cœtu anathema dixerat Ario & negantibus Filium esse ex Patre antè sæcula genitum, esse similem Patri, esse æternum cum Patre; Patres Orthodoxi, non arbitrari dolum in labiis Sacerdotum, nullatenùs putaverunt præfata propositione significari Filium esse creaturam; sed e contra, non esse creaturam, & creaturas omnes dignitate præcellere. Hìnc Hieronym. Dialogo contr. Lucif. scribit sic: *Concurrebant Episcopi, qui Ariminensibus dolis irretiti, sine conscientia hæretici ferebantur, contestantes Corpus Domini, & quidquid in Ecclesia sanctum est, se nihil mali in sua fide suspicatos. Putavimus, ajebant, sensum congruere verbis: nec in Ecclesia Dei, ubi simplicitas, ubi pura confessio est, aliud in corde clausum esse, aliud labiis proferri timuimus. Decepit nos bona de malis existimatio, non sumus arbitrati Sacerdotes Christi adversùs Christum pugnare. Multaque alia, quæ brevitatis studio prætereo, flentes asserebant, parati & subscriptionem pristinam & omnes Arianorum blasphemias condemnare.*

Confirmatur ex eodem S. Hieron. ibid. contr. Lucif. Ubi loquens de Patribus Ariminensibus, sic ait: *Pòst reditum Confessorum, in Alexandrina posteà Synodo constitutum est, ut, exceptis authoribus hæreseos, quos error excusare non poterat, pœnitentes Ecclesiæ sociarentur: non quòd Episcopi possent esse, qui hæretici fuerant; sed quòd constaret, eos, qui reciperentur, hæreticos non fuisse. Assensus est huic sententiæ Occidens; & per tàm necessarium Concilium satanæ faucibus mundus ereptus est.* Loquebatur autèm Hieronymus ex psius Concilii actis visis, ut ipsemet ibidèm testatur.

Huic succinit Athanasius Epist. ad Rufinianum, ubi dicit, & in Oriente & in Occidente conciliaritèr fuisse sancitum, indulgentiam largiri Patribus Ariminensibus pœnitentibus: *præcipuè*, inquit, *quòd a fide remotam sui defensionem edidissent; idque, quod gestum erat, œconomia quadam factum esse videretur. Se enim ad impietatem nunquam transisse; sed ne impiorum quorumdam furor Ecclesias perderet, vim potiùs sequi, & id oneris ferre, quàm populum perire, maluisse dicebant.* Huic conformitèr Sever. Sulpit. suprà citat.

Ex quibus ulteriùs infero, quòd, etiamsi propositiones, quibus subscripsere Patres Ariminenses, fuissent verè hæreticæ, quod falsum probavimus; ipsi tamèn non nisi materialitèr fuissent hæretici, quia ut patet ex dictis, non censebant eas esse contrarias Nicænæ Fidei; quod ut adverterunt, statim retractaverunt; nemo autèm nisi volens & obstinax fit hæreticus formalitèr.

Obj. S. Hieron. in Dial. cit. contr. Lucif. de lapsu Patrum Arim. sic loquitur: *Tùnc Usiæ nomen abolitum est: tùnc Nicænæ Fidei damnatio conclamata est. Ingemuit totus orbis, et se esse Arianum miratus est*: ergo. R. 1. opponendo Hieronymum Hieronymo. R. 2. ad singula verba: dicit *Usiæ* nomen abolitum, quia eo prætermisso in nova Fidei formula visi sunt Patres Ariminenses Nicænæ Fidei proditores. Dicit, Nicænæ Fidei conclamatam esse damnationem, non a Patribus Catholicis, sed ab Arianis, qui, ut vidimus, solita insolentia ubiquè clamabant Catholicos Episcopos suæ hæresi subscripsisse. Dicit, *ingemuisse totum orbem, et se esse Arrianum miratum fuisse*; hoc inquam dicit hyperbolicè, ità ut nihil aliud significare velit, quàm quòd plures Episcopi & Laici inadvertentèr & prætèr intentionem admiserint formulam Fidei, quæ licèt sonaret pietatem, & Catholicum sensum, attentis circumstantiis, præ se ferret, latentèr tamèn virus Arianum ex intentione suorum Authorum continebat: undè dicit *miratus*, quia prætèr intentionem & inadvertentèr id accidit.

Et sanè, quomodò tùnc totus orbis foret Arianus, si quidèm ipso Hieronymo citato teste, & S. Athanasio, nec ipsi Patres Ariminenses Ariani fuerunt, & plures Seleuciæ Arianis restiterint, imò tùnc longè plures fuisse, in orbe Catholicos, quàm Arianos, constat. 1. Ex eo quòd plebs Alexandriæ, Constantinopolis, Antiochiæ, Samosatæ, Medionali restiterint Episcopis Arianis. 2. Ex innumeris Monachorum turbis Ægypti incolis, quos S. Athanasius laudat ut Nicænæ Fidei defensores. 3. Ex enumeratione Provinciarum Nicænæ Fidei adhærentium, quam facit Athanasius Ep. de Fide ad Jovinianum Imperatorem apùd Theodoret. l. 4. cap. 3. ubi recenset Ecclesias Hispaniæ, Britanniæ, Galliæ, Italiæ, Campaniæ, Dalmatiæ, Daciæ, Mæsiæ, Macedoniæ, Achaiæ, Ægypti, Libyæ, Ponti, Cappadociæ: *Omnes deniquè per Orientem Ecclesias, paucis exceptis, quæ Arii opinionem sectantur.* 5. Tandèm ex Ep. Synod. Concilii Romani 90. Episcoporum, partim Italorum, partim Gallorum, sub Damaso Papa Liberii successore ad Episcopos Illyrici, quam describit Theodoret. l. 2. cap. 22. ubi inter cætera hæc observatu digna profert: *Neque enim præjudicium aliquod fieri potuit per numerum Arimini congregatum, quando constat neque Romanum Episcopum, cujus antè omnia expectanda erat sententia, neque Vincentium, qui tot annorum Episcopatum integrè gesserat, neque alios talibus præbuisse consensum. Maxime, cùm isti, sicut diximus, qui per fraudem deflexisse visi sunt, meliore consilio hæc sibi displicere testati sunt. Undè advertit sinceritas vestra, hanc solam Fidem, quæ apùd Nicæam Apostolorum authoritate fundata est, perpetua firmitate esse retinendam, atque hac nobiscum Orientales, qui se Catholicos recognoscunt, Occidentalesque gloriari.*

Inst. Aug. Ep. 50. dicit, Patres Ariminenses *periisse veneno Ariano* S. Ambros. in cap. 6. Luc. vocat ipsos *perfidæ prævaricationis Authores, qui cùm placere potentibus aucupantur, maledicto se perpetuo subdidere.* Facundus Hermian. l. 5. cap. 3. dicit, eos *in Arianum dogma fuisse subactos.* R. His nominibus *veneni, Ariani, perfidæ prævaricationis, Ariani dogmatis*, Patres significare tantùm vel communionem cum Arianis, qui se Catholicos simulabant, cui imprudentèr adhærese Arminenses: vel subdolam fidei professionem latentèr virus Arianum continentem, cui subscripserunt, eò quòd pietatem sonabat, nec fidei Nicænæ contrariam existimabant: in quibus licèt peccaverint Patres Ariminenses ex imprudentia, vel ignavia, & ideo a Patribus redarguantur, nusquàm tamèn peccato hæreseos.

DIGRESSIO QUARTA HISTORICA
de primo Concilio Constantinopolitano, secundo Œcumenico in causa Macedonii.

Ad Dissertationem præced.

SECTIO PRIMA.

Utrùm, & quomodò Concilium Constantinopolitanum primum sit Oecumenicum? ubi de ejus Convocatione & Præsidentia.

NOTA: Hæc Synodus Kalendis Maii anno 381. Damasi Pontificis 15. imperantibus Theodosio Juniore, Gratiano & Valentiniano, Consulibus Eucharide & Evagrio, celebrata est: fuit 150. Episcoporum Imperii Orientis tantùm, quibuscum sub initium aderant 30. Episcopi ex parte Macedoniarum, sed statim discessere. Duplex hujus convocandi fuit præcipua causa; prima, ut fides Nicæna, tot pseudo-Synodis & formulis Arianis labefactata, firmaretur, Hæresesque Macedonii & Apollinaris damnarentur. Altera, ut de Episcopo legitimo Ecclesiæ Constantinopolitanæ adversùs Maximum Cynicum, ab Ægyptiis Episcopis illegitimè ordinatum, provideretur. Socrat. l. 5. cap. 8. Sozomen. l. 7. cap. 7.

De Hæresi Macedonii diximus suprà. De Hæresi Apollinaris circa Incarnationem dicemus in Tract. de Incarnatione, ipsum scilicèt censuisse Verbum Christo fuisse loco mentis, corpusque de cœlo detulisse: errabat etiàm circa Trinitatem in ea distinguens gradus, Patrem maximum, Filium majorem, sanctum Spiritum magnum appellans: in errore etiàm Millenariorum versabatur.

Noster Natalis Alexander distinguit triplex Concilium Constantinopolitanum intrà biennium. Primum sub initium anni ejusdem 381. in quo a Magno Meletio cum aliis Episcopis S. Gregor. Nazianz. Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopus ordinatus est. Secundum Œcumenicum, quod Kalendis Maii ejusdem anni inchoatum est. Tertium, quod anno seq. 382. celebratum est, a quo Ep. Synodica ad Damasum & Concilium Romanum cum tribus deputatis missa est. Verùm de primo Concilio, ut a secundo distincto, non ità constat; potuit enim Gregorius sub initium Concilii Oecumenici ordinari Episcopus: nec ex monumentis a laudato Authore citatis contrarium evincitur.

Difficultas igitùr est, eaque gravissima, utrùm & quomodò hoc Concilium Constantinopolitanum sit Oecumenicum. Tria enim obstare videntur; 1. quòd fuerit congregatum ex Orientalibus tantùm, ut patet ex Theodoret. l. 5. cap. 7. ubi sic ait: *Theodosius Episcopus dumtaxàt sui Imperii Constantinopolim jussit venire*: soli autèm Orienti imperabat Theodosius. Id constat inter Authores. Nec obstat, quòd Acholius Tessalonicensis ex Patriarchatu Occidentis fuerit: unus enim ex Occidente non sufficit, ut dicatur Concilium generale.

2. Quòd non fuerit convocatum authoritate, aut saltèm ex assensu Damasi sanctissimi Pontificis, quod nunquàm ritè factum est, aut fieri licuit, ut dicitur in Conc. Chalcedonensi act. 1. & probavimus de Conc. Nicæno. Id autèm videtur constare ex Socrat. Sozomen. & Theodoret. citatis; & ex Ep. Synod. ejusdem Concilii ad Theodosium, in quibus dicitur a Theodosio convocata Synodus, nec in ullo veterum monumentorum Eclesiasticorum fit mentio Damasi.

3. Quod

3. Quod S. Damasus sanctissimus Pontifex huic Concilio nec per se, nec per Legatos præfuerit, id enim ex nullo antiquitatis monumento erui potest; quædam enim referunt, Timotheum Alexandrinum præfuisse; quædam, Meletium; alia, Gregorium Nazianzenum; alia, Cyrillum Jerosolymitanum; alia; Nectarium; nulla, Damasum aut ejus Legatos.

Probabilis sententia proponitur.

QUidam, nodum hunc ut solvant, dicunt Damasum indixisse Concilium generale Romæ, ad illudque etiam Orientales convocasse, litteris ad Theodosium datis: Theodosium verò Orientis Episcopos Constantinopolim convocasse, non indicta causa, nisi tùnc cùm Constantinopolim adventassent, ubi ipsis tantùm manifestavit mentem Pontificis, quem ut acceperunt Orientales Episcopi, deputatis tribus ex suo cœtu, nempè Eusebio, Cyriaco, & Prisciano Romam, dataque Ep. Synodica ad Damasum & Concilium illìc congregatum, excusaverunt se non posse Romam convenire: 1. Quia eorum Ecclesiæ nupèr renovatæ diutiùs suo Pastore privarentur. 2. Quia Episcoporum absentium consensum ad Concilium Constantinopoli celebrandum tantùm attulerant, nec superesset tempus ad longius iter parandum, & ad commonefaciendos alios Episcopos in singulis provinciis. Quam excusationem acceptavit Damasus, consensitque eos Constantinopoli Synodum agere, eo ipso tempore, quo ipse Romæ Concilium Occidentalium habebat, missa tamèn priùs professione fidei contra omnes hæreses tùnc grassantes ad Paulinum, cui subscriberent Orientales Constantinopoli congregati, uti fecerunt, petentes posteà a Damaso suarum definitionum confirmationem.

Iste verò gestorum ordo colligitur 1. ex præfata Epistola Synodica Concilii Constantinop. habiti anno seq. 382. in qua Patres Synodici sic Damasum & alios Occidentales Romæ congregatos alloquuntur: "Dominis, honorabilibus atque venerandis fratribus & comministris Damaso, Ambrosio, Brutoni, „Valeriano, Acholio, Basilio, & reliquis Episcopis in maxima „Roma collectis, S. Synodus Orthodoxorum Episcoporum „congregatorum in maxima civitate Constantinopoli in Domino salutem..... Jam verò, quoniàm vos, quo fraternam „vestram erga nos charitatem declararetis, Concilio, voluntate ac nutu Dei, Romæ coacto, nos velùt membra propria „per Deo amantissimi Imperatoris litteras accersivistis.... Est „certè nobis omnibus in optatis, si potest fieri, Ecclesiis confertim relictis, vestro desiderio, aut necessario potiùs Ecclesiæ negotio inservire.... Verùm, quoniàm hoc modo Ecclesiæ „nupèr renovatæ nudarentur, & res a plerisque fieri omninò „non queat: nàm Constantinopolim conveneramus, mandato „Litterarum, superiore anno a vestra Reverentia pòst Concilium Aquilejense ad Dei amantissimum Imperatorem Theodosium missarum, ad iter dumtaxàt Constantinopolim usquè „faciendum præmeditati, atque de hoc uno Concilio celebrando consensum Episcoporum, qui in provinciis manserant, „una nobiscum afferentes: longiore autèm itinere opus esse „nec expectantes, neque omninò antè accipientes, quàm Constantinopoli in unum conventum esset. Hùc accedit, quòd „temporis præstituti angustia neque ad longius iter parandum, neque ad Episcopos in singulis Provinciis, qui sunt „ejusdem nobiscum communionis, de hac re commonefaciendos, neque ad eorum consensus obtinendos satis spatii dat. „Itaquè, cùm & hæ res, & aliæ præterea complures majori parti „Episcoporum impedimento sint, quominùs ad vos veniant: „idcircò, quod secundo in loco faciendum erat, tùm ad statum „rerum Eclesiasticorum ritè ordinandum, tùm ad ostendendum, quanti vestram ergà nos charitatem æstimemus, illud „certè fecimus, quippè qui oravimus Reverendissimos Patres & „collegas nostros Cyriacum, Eusebium, & Priscianum, ut laborem ad vos proficiscendi suscipere non gravarentur.„ Posteà recensitis, quæ circa fidem contra hæreses definierant, sic pergunt: *Igitùr, quæ de fide apertè prædicantur a nobis, velùt in summa hæc esse noscuntur: de quibus instrui ampliùs poteritis, si et tomum in Antiochia factum, et a Synodo ibi constituta dignemini legere, et quod anno superiore in Constantinopoli ab universali Synodo cognoscitur esse prolatum.* Deindè recensitis, quæ de ordinationibus Episcoporum quorumdam statuerant, omnium petunt confirmationem his verbis: *His igitùr, tàm legalitèr et canonicè apùd nos gestis, etiàm vestram reverentiam congaudere deposcimus.*

Ex his itaquè colligitur, Orientales a Damaso anno superiore fuisse vocatos ad Concilium generale Romæ celebrandum. Acceptis autèm eorum excusationibus consensisse Damasum, ut Constantinopoli Synodum celebrarent, eisque libellum fidei subscribendum direxisse. Idem colligitur tùm ex Rufino Ep. 2. ad Macarium, dicente: *Damasus Episcopus, dùm de recipiendis Apollinaristis deliberatio haberetur,* (scilicèt Romæ) *editionem Ecclesiasticæ fidei, cui subscribere deberent* (nempè Orientales) *conscribendam mandavit; quibus ipsi libentissimè subscripserunt.* Itèm ex Auctore incognito apùd Christophorum Justellum cap. 76. dicente: *Damasus sanctissimus, collecta Romæ Synodo divinum decretum edidit, et ad eam, quæ Constantinopoli cogebatur, Synodum misit.* Et tandèm ex vetustissimo codice Vaticano, & altero S. Mariæ Majoris, a Caronio relatis, in quibus habetur sic: *Sententiam de damnatione Macedonii & Eunomii Damasus confirmari præcepit etiam in secunda Synodo, quæ præcepto, et authoritate ejus Constantinopoli celebrata est.*

1. Dicitur Concilium congregatum ex Oriente, & Occidente; quia, proptèr consensum animorum utriusque Concilii Romani & Constantinopolitani in proscribendis erroribus, ex utroque videbatur unum coalescere, quod meritò vocari potest Romano-Constantinopolitanum. 2. Verè dicitur convocatum authoritate Damasi, qui litteris datis ad Theodosium Orientales Romam vocaverat; & excusatione eorum admissa, eos congregari Constantinopoli consenserat. 3. Ipsis præfuit, quia Romano Concilio personalitèr aderat, & libellum fidei ab Orientalibus subscribendum Constantinopolim direxerat: & illic sancitas definitiones fidei ad instantiam Patrum Constantinopolitanorum confirmavit.

Cæterùm hæc sententia, hicque explicandi modus, licèt plurium sit & probabilis, non tamèn omninò satisfacit. Deberet enim constare, innotuisse Orientalibus, a Theodosio Constantinopoli congregatis ann. 381. Mandatum Damasi de celebranda Synodo generali Romæ, eique tùnc suas excusationes detulissè, ut iis acceptis ex ejus assensu & authoritate hoc Concilium anni 381. Constantinopoli agerent. Quod certè non probatur ex eorum Epist. Synodica, modò relata, quam certò constat fuisse conscriptam, non ann. 381. in Synodo generali, sed anno seq. in alio Concilio particulari, quod patet ex his verbis. *Si.... dignemini legere, quod anno superiore in Constantinopoli ab universali Synodo cognoscitur esse prolatum.*

Verum quidèm est, quod etiam ibidèm dicant Orientales, se convenisse Constantinopolim mandato litterarum Damasi, *superoire* anno pòst Concilium Aquilejense ad Imperatorem missarum: sed 1. hæ particularæ *superiore anno* non leguntur, neque apùd Niceph. l. 12. cap. 15. neque in Edit. Sixti V. per Nicolinum, neque in Edit. Dom. Bail: sed etsi legerentur, non indè probatur eos vi istarum litterarum superiore anno missarum, eodem ann. 381. Constantinopolim convenisse, quin imò contrarium evincitur: cùm enim dicantur datæ pòst Concilium Aquilejense, quod etiàm anno eodem 381. celebratum est nonis Septembris juxta Baronium ad 381. & Concilium generale Constantinop. absolutum sit sub finem Julii ejusdem anni, juxta eumdem ibidèm, apertè patet Orientales Constantinopolim ad Concilium generale anni 381. non convenisse ex mandato istarum litterarum.

Id etiàm evidentèr constat ex Nicephoro l. 12. Ubi, cùm cap. 10. & 12. & 13. Acta in Concilio generali Constantinop. circa fidem & institutionem Nectarii narrasset, cap. 14. dicit: *His ità actis, simùl & Synodus finem suum habuit, & reliqui Episcopi ad sedes suas redierunt.* Et postquàm cap. 15. dixisset, Theodosium ex consilio Nectarii ob turbas ab Arianis ejectis excitatas rursùm alteram Synodum exiguo a priore Synodo temporis intervallo convocasse, inferiùs in eodem cap. sic loquitur: *Cùm Synodus Constantinopoli iterùm, sicuti dictum est, sub Imperatore Theodosio ageretur, ex Occidente litteræ venerunt, ut ipsi quoquè Romam ad Concilium ibi maximum institutum, in quo de rebus etiàm Antiochenis inter Paulinum & Flavianum decideretur, venirent. Cæterùm, qui Constantinopoli congregati erant Episcopi, profectionem Romanam ut incommodam detrectarunt: Epistolam autèm scripserant...Reverendissimis Dominis, &c.* ergo, juxtà Nicephorum, jam absolutum erat Concilium generale Constantinop. anni 381. cùm illùc pervenerunt Litteræ Apostolicæ, quibus Orientales vocabantur ad Concilium Romanum, sicque non ex mandato istarum litterarum, neque assentiente Damaso, & eorum excusationes acceptante, Concilium generale celebrarunt Constantinopoli ann. 381.

Id quoquè apertè tradit Theodoretus l. 5. hist. cap. 8. ubi loquens de Concilio œcumenico I. Constantinopolitano hæc habet: *Porrò autèm, cùm Canones pro recta Ecclesiæ administratione conscripsissent, statuissentque, ut fidei formula, in Concilio Nicæno edita firma ac stabilis maneret, singuli domum reversi sunt. Sequenti æstate quamplurimi eorum ad eamdem urbem denuò reversi sunt (necessaria enim Ecclesiæ negotia eos illò revocabant) Epistolam a Concilio Episcoporum in Occidente coactorum accepere, quæ illos hortabatur, ut Romam, ubi jam Episcoporum cœtus congregatus erat, accederent. At tamèn longum iter suscipere omninò recusarunt, sed tamèn scripserunt Epistolam, qua tùm tempestatem contra Ecclesias excitatam eis significabant, &c.* ergo idem, quod antè.

Alia autèm testimonia, quæ in favorem hujus sententiæ adferuntur, non videntur sufficientis ponderis, ut ea, quæ in contrarium ex laudata Epistola Synodica, & ex Theodoreto, & Nicephoro eruimus, infringere possint. Vel dicendum, quòd confundant ultimam Synodum particularem anni 382. cum præcedente generali anni 381. Insupèr dato Damasum hoc convocasse Concilium, & ad illud libellum fidei subscribendum direxisse, ut dicunt præfata testimonia; non sequitur indè, quòd ipsi præfuerit per se, vel per Legatos, nec quòd ad illud convenerint Occidentales, quod utrumque necessario requiritur, ut censeatur generale, & œcumenicum. Quod enim quidam ajunt, Acholium Thessalonicensem, Damasi Vicarium per Illyrium, huic Concilio ejus nomine præfuisse, levibus nituntur testimoniis contrà antiqua monumenta, in quibus altum est de præsidentia Acholii silentium, imò nec ejus nomen legitur inter eos, qui Concilio subscripserunt.

Probabilior sententia proponitur.

PRobabilius igitùr, & planiùs, ut nobis videtur, solvitur difficultas dicendo cum pluribus, hoc Concilium, secundùm se consideratum, ac attenta convocatione, & præsidentia, non esse œcumenicum, sed tantùm Orientis nationale; evasisse autèm œcumenicum ex pòst facto, quatenùs nempè Damasus, & Ecclesia Occidentalis, Romæ tùnc congregata, & in eamdem fidem conciliaritèr conspirans, illud quoad dogmata fidei confirmarunt, atque sic Generalis, & Œcumenici Concilii auctoritatem ipsi tribuerunt, ità ut ex utroque conventu in eamdem sententiam conspirante una resultaverit Synodus Œcumenica, quæ etiàm juxtà hanc sententiam potest dici Romano-Constantinopolitana.

Licèt enim ex actis Romanæ Synodi, Damasum, acceptis litteris Orientalium, priorem eorum Synodum confirmasse non habeatur, quia perierunt: tradit tamèn Photius l. de 7. Synodis ad Michaelem Imperatorem, ubi postquàm illustriores Constantinopolitanæ Synodi Episcopos recensuit, subdit: *Quibus haùd multò pòst, & Damasus Episcopus Romæ eadem confirmans atque sentiens accessit.* Constat etiàm ex constanti usu, & traditione omnium Patrum, & Ecclesiarum, qui ab hinc usquè nùnc istud Concilium pro Œcumenico habuerunt: quod sanè non esset, nisi saltèm auctoritate Romani Pontificis roboratum fuisset.

Nec obstat, si dicas alia Concilia Provincialia, a sanctissimo Pontifice approbata paritèr ejus arbitrio posse affici titulo universalis Concilii. Id enim est singulare in hoc præsenti, de quo agimus, Concilio, quòd omnium, & Orientalium, & Occidentalium suffragia voce vel scripto in eamdem fidem conciliaritèr conspiraverint, & tres deputati ab Ecclesia Orientali adfuerint Occidentali Concilio; quod non accidit in aliis Conciliis Provincialibus. Quòd autèm Orientales in Synodo anni 382. vocent priorem Synodum anni 381. universale vel generale Concilium, intelligi debet universale Concilium Orientis, non verò totius Ecclesiæ. Hac autèm sententia semèl posita, nihil est, quòd fatigemur inquirendo, an Damasus hoc Concilium convocaverit, illiquè præsederit.

Pretèr Canonem primum, quo damnantur Hæretici, alios etiàm edidit Concilium spectantes disciplinam, de quorum numero litigant Authores, alii 7. cum Christiano Lupo, alii 3. tantùm cum Dionysio Exiguo numerantes: cui sententiæ ultimæ favet ipsa Synodus in sua Ep. ad Damasum, tres tantùm recensens: argumentis autèm, quibus probantur plures, responderi potest fuisse editos pòst Concilium, non in ipso, nec ab ipso.

Quòd verò horum Canonum auctoritatem spectat, certum est ex Conc. Chalcedonensi act. 16. ex S. Leone Ep. 53. ad Anatolium, eos, saltèm secundum aut tertium, quo Episcopo Constantinopolitano primatus honoris pòst Romanum conceditur, non statim fuisse ab Ecclesia Romana receptum, sed tantùm in Lateran. Concilio 4. sub Innocentio III. Undè S. Gregorius l. 6. Ep. 125. ad Eulogium de hac Synodo loquens dicit: *In hac autèm Synodo accepit* (scilicèt Ecclesia Romana), *quod est per eam contra Macedonium definitum.*

Edidit etiàm hæc Synodus Symbolum, quod in Ecclesia canimus, seù potiùs Nicænum aliquot additamentis contrà novas exortas Hæreses auxit. Est tenoris sequentis.

Symbolum Nicæno-Constantinopolitanum.

„CRedimus in unum Deum Patrem Omnipotentem, factorem *Cæli & Terræ*, visibilium omnium, & invisibilium. „Et in unum Dominum nostrum Jesum Christum, Filium „Dei unigenitum; & ex Patre natum *antè omnia sæcula*, Deum „de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; natum, non factum, homoousion Patri, id est, ejusdem cum „Patre substantiæ, per quem omnia facta sunt. Qui proptèr „nos homines, & proptèr nostràm salutem descendit de cœlis; „& incarnatus est *de Spiritu S. ex Maria Virgine*, & Homo „factus est. *Crucifixus etiàm pro nobis sub Pontio Pilato,* passus „*& sepultus est.* Tertia die resurrexit a mortuis, secundùm „Scripturas. Ascendit in cœlos, *sedet ad dexteram Patris.* „Indè venturus est *cum gloria* judicare vivos, & mortuos, *cujus regni non erit finis.* Credimus in Spiritum S. *Dominum „& vivificantem, ex Patre procedentem, et cum Patre, et Filio adorandum, et conglorificandum; Qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam Catholicam, et Apostolicam Ecclesiam. Confitemur unum Baptisma in remissionem peccatorum. Expectamus resurrectionem mortuorum, et vitam futuri „sæculi: Amen.*"

Omnia, quæ characteribus italicis leguntur, addita sunt Symbolo Nicæno a Concilio Constantinopolitano, tùm majoris explicationis gratia, tùm contrà novas Hæreses exortas, ut jam diximus.

SECTIO SECUNDA.

Utrùm Concilium Constantinopolitanum primum sempèr fuerit in Ecclesia receptum?

QUantùm ad Canones circà disciplinam non fuisse sempèr receptum, jam diximus: quæstio hìc est de definitione seu Symbolo fidei, quod edidit; pro quo dico: Concilium Constantinopolitanum I. quantùm ad definitionem seu Symbolum fidei sempèr fuit in Ecclesia receptum.

Prob. 1. Ex Concilio Chalcedonensi. 70. annis pòst Constantinopolitanum celebrato; ubi act. 4. recipitur Epistola S. Leonis, quia consonat definitioni 318. Patrum Nicænorum, & 150. Constantinopolitanorum. Et act. 5. committitur Vicariis Sedis Apostolicæ, & Anatolio Archiepiscopo Constantinopolitano definitio fidei ordinanda, in qua recipiuntur, quæ a 318. Patribus in Nicæa, & a 150. in Synodo Constantinopolitana I. statuta sunt.

Prob. 2. ex S. Gregorio magno, cujus celebrantur hæc verba: *Quatuor prima Concilia tamquam quatuor Evangelia veneror.* Intèr illa autèm secundum locum obtinet Constantinop. similitèr V. Synodus Œcumenica: *Suscipio sanctas quatuor Synodos, & quæ ab ipsis de una eadem fide definita sunt.*

Prob. 3. ex Gelasio sanctissimo Pontifice, y Synodò Rom. ubi inter scriptà authentica, quæ pòst sacras Scripturas recipit Ecclesia, recenset *sanctam Synodum Constantinopolitanam, mediante Theodosio seniore Augusto, in qua Macedonius hæreticus debitam damnationem excepit.*

Dices 1. Decretum Synodi Sardicensis, quod laudat Athanasius in Ep. ad Antiochenos, vetat quidquam addere Symbolo Nicæno, aut aliud cudere. 2. Episcopi Ægyptiaci in Conc. Chalcedonensi noluerunt recipere additiones factas Symbolo Nicæno a Concilio Constantinop. ut patet ex act. prima. 3. Author libri Pontificalis scribit de Hilario Pontifice maximo, ipsum confirmasse tres Synodos, Nicænam, Ephesinam, & Chalcedonensem, nulla mentione facta Constantinopolitanæ: ergo.

R. ad 1. Synodum Sardicensem prohibuisse aliquid addere Symbolo Nicæno, aut novum condere, ad sensum Arianorum, qui quotidiè nova Symbola cudebant, & voces Symboli Nicæni, divinitùs inspiratas, & totius orbis reverentia consecratas, delebant, & immutabant. Non prohibuit autèm idem Symbolum, retentis omnibus ejus capitibus, & verbis, majori explicatione contrà emergentes hæreses exponi, & augeri. Seu breviùs, vetuit addere Nicæno, ut quid ipsi contrarium, C. ut quid illius explicativum, N.

Ad 2. R. a Concilio Chalcedonensi contemptos fuisse hos Ægyptiorum clamores, ut patet ex prima probatione, & ex responsione, quam Patres Synodici illis sic reclamantibus dedere, hac scilicèt: *Hæc Eutyches dixit.* Nec mirum, Episcopos Ægypti soli Nicæno, & Ephesino Concilio adhæsisse; stabant enim e partibus Eutychetis, & Dioscori, ut patet ex illorum Ep. ad Leonem Augustum: Eutyches autèm in sua fidei professione solum Nicænam Synodum, & Ephesinam admittebat, silentio damnans Constantinopolitanam, quòd hæc præ cæteris explicatiùs explanabat Incarnationis mysterium.

Ad 3. R. non solùm Hilarium, sed quosdam alios Pontifices, & plures Theologos non facere mentionem Concilii Constantinopolitani; non quòd illud non admittant, sed quia illud confundunt cum Nicæno quoad definitionem fidei, & utriusque Symbolum pro uno, & eodem habent: eo quod Constantinop. non sit nisi explicatio Nicæni. Ità Marcus Ephes. in Synodo Florent. Sess. 5. *Hoc*, inquit, id est, Symbolum Constantinopolitanum *in illo* (Nicæno) *potentia videbatur inclusum, ità ut ambo pro uno haberentur.* Et infrà: *multis profectò fortissimis constat argumentis, duo illa priora Symbola ab omnibus Conciliis generalibus pro uno suscepta fuisse.* Hinc Magister sen-

sentent. l. 1. d. 11. Alexander Alensis part. 3. q. 69. membr. 5. & quidam alii, Symbolum, quod canitur in Ecclesia, vocant Nicænum, cùm tamèn certum sit esse Constantinopolitanum.

De additione hujus vocis *Filioque* dicam infrà.

DISSERTATIO II.

DE PROCESSIONIBUS DIVINARUM PERSONARUM.

Div. Thom. Quæst. 27.

CUm SS. Trinitatis mysterium, ut ex dictis in præcedenti Dissertatione constat, consistat in tribus Personis ejusdem, & individuæ naturæ divinæ; Personæ autèm constituantur relationibus, & relationes fundentur in processionibus, ideò cum Athore dicemus. 1. De Processionibus. 2. De Relationibus. 3. De Personis.

ARTICULUS I.

Utrùm in Divinis sint Processiones?

PRocessio ut sic nihil est aliud, quàm origo unius ab alio. Undè Processio in divinis est unius personæ ab altera, vel a duabus origo.

Processionem in divinis diversi diversimodè acceperunt. (*Hìc q.* 27. *art.* 1. *a.*) Quidam secundùm quòd effectus procedit a causa; & sic accepit Arius, dicens Filium procedere a Patre sicùt primam ejus creaturam, & Spiritum S. procedere a Patre, & Filio sicùt creaturam utriusque: & secundùm hoc neque Filius, neque Spiritus S. esset verus Deus. Alii hanc processionem acceperunt, secundùm quod causa dicitur procedere in effectum, in quantùm vel movet ipsum, vel similitudinem suam imprimit ipsi: & sic accepit Sabellius, dicens ipsum Deum Patrem dici Filium, secundùm quòd carnem assumpsit ex Virgine, & eumdem dici Spiritum S. secundùm quòd creaturam rationalem sanctificat, & ad vitam movet: & secundùm hoc una est tantùm persona in Deo. Hanc utramque hæresim impugnavimus præcedenti Dissertatione.

Si quis autèm diligentèr consideret, uterque accepit processionem, secundùm quòd est aliquid extrà: undè neuter posuit processionem in ipso Deo. Sed, cùm omnis processio sit secundùm aliquam actionem, sicùt secundùm actionem, quæ tendit in exteriorem materiam, est aliqua processio ad extrà; ità secundùm actionem, quæ manet in ipso agente, attenditur processio quædam ad intrà: & de ea quæritur hìc, àn detur in Deo. (*Ibid.*)

Dico: Sunt in Deo Processiones ad intrà. (*Ibid.*)

Prob. 1. ex Scripturis. Joann. 8. Christus ipse de se loquens dicit: *Ego ex Deo processi.* Eccli. 24. *Ex ore Altissimi prodivi.* Joann. 5. de Spiritu S. *Cùm autèm venerit Paracletus, quem mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit.* Probatur insupèr iis omnibus Scripturæ locis, & Patrum testimoniis, quibus probavimus Filii, & Spiritûs S. divinitatem, quam sibi communicatam non habent nisi via processionis.

Prob. 2. ex Symbolis Fidei. In Nicæno-Constantinopolitano de Filio habetur: *Ex Patre natum, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero*; & de Spiritu S. *Qui ex Patre Procedit.* In Symbolo quod dicitur Athanasii: *Filius a Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus: Spiritus S. a Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.*

Prob. 3. Ratione Theologica (*Infrà quæst.* 33. *art.* 4. *ad* 4.) De fide est, dari in Deo plures personas realitèr distinctas in eadem numero natura: ergo sunt in Deo processiones. Prob. Conseq. Si in Deo non essent processiones, non esset oppositio relativa originis, cessante oppositione relativa originis non possent plures personæ distingui nisi diversitate naturæ: ergo. De hac ratione iterùm infrà, dùm de processione Spiritûs S. contrà Scotistas.

Hac Ecclesiæ fide supposita, proponuntur quædam rationes congruentes. Prima petitur ex divinæ naturæ fœcunditate. Hæc enim, cùm sit summa perfectio, non videtur Deo deneganda: undè Isai. 66. *Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus; si ego, qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero?* Hanc congruentiam urgent S. Athanas. Orat. 2. contr. Arian. S. Cyrillus l. 5. Thesauri, & alii.

Altera est Authoris (*Hìc art.* 1. *o.*) Quicumque intelligit, ex hoc ipso quòd intelligit, procedit aliquid intrà ipsum, quod est conceptio rei intellectæ ex vi intellectiva proveniens, & ex ejus notitia procedens, quam quidèm conceptionem vox significat, & dicitur verbum cordis significatum verbo vocis; atqui Deus est perfectissimum intelligens: ergo.

Hæc autèm ratio S. Thomæ, quam multi impugnant, non sic accipienda est, quasi in omni intellectione producatur verbum; Filius namquè, & Spiritus S. intelligunt, & tamèn non producunt verbum. Itèm Beati secundùm nos absquè verbo cognoscunt Deum, sed alio triplici sensu verificari potest hoc S. Thomæ principium. 1. Ut in omni intellectione connaturali proprii objecti producatur verbum. Filius equidèm in divinis intelligit intellectione connaturali, & tamèn non producit verbum, quia unius intellectionis est unum verbum, quandò est adæquatum: intellectio autèm, qua Filius intelligit, est ipsa eadem intellectio, qua Pater intelligit, & ipse Filius, utpotè infinitus, est verbum adæquatum hujus intellectionis, quam ideò omninò exhaurit; sicque non restat aliud verbum producendum. 2. Ut quicumque intelligit, ex hoc ipso quòd intelligit, id est, ex hoc ipso quòd est intellectualis naturæ, in aliqua sua intellectione producit verbum. 3. Juxtà Joann. a S. Thoma sensus est, quòd quicumque intelligens, qui producit verbum, illud producat ex eo quòd intelligat, ità ut ratio, cur verbum producatur, dùm producitur, est vis, seu ratio intelligendi, quia sibi interiùs loqui, manifestare, exprimere conceptum, quod est producere verbum, provenit ex vi, & perfectione intelligendi. Quovis sensu intelligatur, stat congruentia S. Thomæ in hoc sita, quòd producere verbum sit proprium naturæ intelligentis, sitque secundùm se perfectio, quæ depurari potest ab imperfectionibus, quibus sordescit in creaturis: ergo congruum est illam adscribere Deo summè intelligenti. Si dicas, in creatis produci verbum ex indigentia, ut nempè id, quod est intelligibile in actu primo, fiat intellectum in actu. 2. Deum autêm esse intellectum in actu 2. Et ideò diximus in præcedenti Tract. Beatos non producere verbum in visione beatifica. R. Verbum in creatis habere duo munia, primum, quod assignatur in argumento; secundum intelligenti manifestare, & loqui rem intellectam, quod pertinet ad perfectionem intellectûs; & hoc modo procedit verbum in Deo, non ex indigentia, sed ex fœcunditate, seu ut dicit Aug. ex intelligentia. Quod additur de Beatis; non solùm proptèr hanc rationem negavimus verbum produci in visione beatifica, sed etiàm quia objectum infinitum non potest quidditativê cognosci per verbum, seu speciem creatam.

Solvuntur objectiones.

OBj. 1. Omnis processio involvit imperfectionem: ergo. Prob. Ant. 1. Procedens est diversum ab eo, a quo procedit. 2. Ab illo dependet, cùm sine illo esse non possit. 3. Est ipso posterius. 4. Est passivæ, & indigentis naturæ, cùm ab illo accipiat: ergo.

R. D. Ant. omnis processio in creatis imperfectionem involvit, transeat; in divinis, N. longè quippè est alia ratio divinorum, & creatorum; in infinitum enim distant, undè, cùm de divinis agitur, attolenda est mens, & ab omnibus creatis abstrahenda, Itaquè

Ad 1. cum D. Thom. (*Ibid. ad* 2.) D. Procedens processione ad extrà est diversum ab eo, a quo procedit, C. procedens processione ad intrà, subd. in creatis, C. in divinis, subd. iterùm: est diversum, quantùm ad personam, C. quantùm ad naturam, N. quia, quod procedit ad intrà processu intelligibili, quantò perfectiùs procedit, tantò magis est unum cum eo, a quo procedit; manifestum est enim, quòd quantò magis aliquid intelligitur, tantò verbum, seu conceptio intellectualis est magis intima, & magis unum; nàm intellectus secundùm hoc, quod actu intelligit, secundùm hoc fit magis unum cum intellecto. Undè, cùm divinum intelligere sit infinitæ perfectionis, necesse est, quòd Verbum divinum sit perfectè unum cum eo, a quo procedit, absquè ulla diversitate in natura. Et quamvis non sit eadem ratio de Spiritu S. qui procedit a voluntate per modum amoris, & impulsûs, hoc ipso tamên quod procedit ut quid Deo immanens, est idem natura, quia omne, quod est in Deo, Deus est.

Si dicas, ex hac D. Thom. responsione sequi, quòd Verbum

neque etiàm ut persona distincta procedat. R. D. non procedit ut persona distincta vi processionis, ut intelligibilis, C. vi processionis, ut realis, N. cùm itaquè processus, ut intelligibilis sit assimilativus, petit unitatem numericam cum objecto; undè, si sit perfectissimus intellectus petit perfectissimam unitatem, quæ est in substantia. Indè tamèn non destruitur diversitas personarum, quæ est tantùm relativa, & ex processione quatenùs est realis, quia processus qua realis petit extrema realitèr distincta, saltèm quoad modum essendi. Undè ex ipsa processione sub diversa consideratione oritur & consubstantialitas Verbi, & personarum distinctio.

Ad 2. N. procedens in divinis pendere a producente, sive quantùm ad naturam, sive quantùm ad personam. Non quantùm ad naturam; quia est eadem numero procedentis, & producentis. Neque quantùm ad personam; quia procedens non procedit ab altera ut a causa, sed ut a principio, neque ex voluntate libera, sed ex necessitate naturæ ob infinitam ejus perfectionem, qua fit, ut Pater intelligendo non possit non producere Verbum, & Pater, & Filius sese amando non possint non producere Spiritum S. Ad probationem N. Conseq. quia ad dependentiam aliud requiritur, quàm quòd unum non possit esse sine alio: nàm Pater non potest magis esse sine Filio, quàm Filius sine Patre, & tamèn Pater non dicitur dependens a Filio. Itêm omnipotentia non potest esse sine possibilitate creaturarum, & tamèn ab illis non dependet.

Ad 3. quidam Theologi nullam admittunt in divinis prioritatem, aut posterioritatem, sed tantùm ordinem processionis: alii admittunt prioritatem, non quidèm causalitatis, aut durationis, tres enim personæ sunt simùl ab æterno, sed prioritatem originis tantùm, quæ non importat imperfectionem.

Ad 4. N. Ant. Personæ enim procedentes in divinis nunquàm caruerunt, aut carere potuerunt eo, quod habent: quod autèm nunquàm caruit, aut carere potuit eo, quod habet, non censetur passivæ, & indigentis naturæ.

Obj. 2. Quælibet persona in Deo est Deus; atqui Deo repugnat esse, seu procedere ab alio: ergo. Prob. Min. Deus est ens a se; atqui enti a se repugnat esse ab alio: ergo. R. N. Min. ad probat. D. Maj. Deus est ens a se ratione naturæ, C. ratione personæ, subd. Est ens a se aseitate excludente omnem causalitatem, & dependentiam ab alio, C. aseitate excludente principium originis, N. Subsumes; atqui juxtà doctrinam traditam Deus est & procedit ab alio ratione naturæ: ergo. Prob. subsumptum: natura filii v. gr. ipsi communicatur a Patre: ergo est, & procedit a Patre. R. N. Subsumptum. Ad probationem N. Conseq. Quamvis enim natura dicatur communicari Filio a Patre, non potest tamèn dici esse & procedere ab illo, quia est una numero in Patre, & Filio, quæ nec generat, nec generatur; processio autèm exigit distinctionem inter procedens, & producens. Inst. Quælibet persona est ens a se aseitate excludente principium originis: ergo. Prob. Ant. Quælibet persona est primum principium: ergo. R. N. Ant. ad probationem D. Ant. Quælibet persona est primum principium ad extra, seu respectu creaturarum, C. ad intra, N. sic enim solus Pater est ingenitus, & improductus.

Obj. 3. Hoc est discrimen inter actionem immanentem, & transeuntem, quòd hæc habeat terminum productum, non illa, ut dicet Philosophia; atqui in divinis non est ad intra nisi actio immanens: ergo. R. N. Maj. Discrimen enim inter utramque actionem non est præcisè, quòd transiens habeat terminum, & immanens non habeat, sed quòd transiens habeat necessariò terminum, & eum tanquàm finem, propter quem fit actio: immanens autèm, etsi non habeat necessariò terminum, possit tamèn habere, & talem qui non sit ejus finis propter quem, sed e contra, qui sit propter actionem; & sic est in divinis: intellectio namquè non èst propter Verbum, seu potiùs Verbum propter intellectionem, ut in eo intellecto contempletur objectum.

Petes, quare, cùm Filius, & Spiritus S. a Patre procedant, emanationi Spiritûs S. adaptetur processio potiùs, quam Filio? R. Id esse propter vocabulorum inopiam. (*Hìc art.* 4. *ad* 3. *& in* 1. *d.* 12. *art.* 3.) Cùm enim Deum nominare non possumus nisi ex creaturis, & inveniatur in creaturis aliquid subsistens procedere per modum naturæ, quod dicimus generari; hinc processio Filii, quæ est per modum naturæ, dicta est generatio. Quia verò in creatis nihil videmus subsistens procedere per modum amoris, fit ut processio Spiritûs S. quæ est per amorem, manserit, sine nomine, & communi nomine processionis appelletur; posset tamèn nominari spiratio, quia est processio Spiritûs.

ARTICULUS II.

Quodnam sit principium quo proximum divinarum Processionum?

SUppono 1. principium quod divinarum processionum esse personam Patris, & Filii, Patris respectu Filii, Patris, & Filii respectu Spiritûs S. quia, quod procedit realitèr, debet realitèr distingui a producente; nihil enim producit se ipsum, nulla autèm est in divinis realis distinctio nisi inter personas. Suppono 2. principium quo saltèm remotum, & primordiale esse naturam divinam; quia est id, in quo genitum assimilatur, & convenit cum generante: intellige tamèn de natura ut modificata relationibus, sicùt dicam modò de principio proximo quo. In hac duplici suppositione conveniunt Theologi; sed disserunt in assignando principio proximo, quo natura producit Filium, & Spiritum S.

Durandus docuit, esse ipsam divinam naturam, non ut intelligentem, aut volentem, sed etiàm ut præintellectam intellectui, & voluntati; ità ut, præcisis per mentem intellectu, & voluntate, Filius, & Spiritus S. nihilominùs censerentur procedere. Quidam dixerunt, solas relationes esse principium quo immediatum divinarum processionum; & hæc sententia tribuitur S. Bonaventuræ, & aliis. Alii Theologi communitèr assignant pro principio proximo divinarum processionum intellectum, & voluntatem: sed, quia intellectus, & voluntas sunt communes tribus Personis, assignanda est ratio, cur intellectus in Patre generet, & non in Filio, cur voluntas in Patre, & Filio spiret & non in Spiritu S. undè dicunt, intellectum in Patre generare, quia modificatur relatione paternitatis, non in Filio; voluntatem in Patre, & Filio spirare, quia modificatur relatione spirationis activæ, non in Spiritu S. Quid sint autèm isti actus intellectûs, & voluntatis productivi, qui dicuntur nationales, dicam art. seq.

Dico cum D. Thom. (*Hìc per tot Q.* 27. *Q.* 10. *de pot. art.* 4. *cap.* 9. *cap.* 11. *& in* 1. *d.* 7. *&* 13.) principium quo proximum immediatum divinarum processionum non est natura divina præintellecta intellectui, & voluntati, sed sunt ipse intellectus, & ipsa voluntas, non præcisè secundum se, sed modificati relationibus paternitatis, & spirationis activæ; (*Hìc q.* 41. *art.* 5. *o. & q.* 2. *de pot. art.* 2. *ad* 5.) ità ut principium quo proximum divinarum processionum non solùm importet quid absolutum, scilicèt intellectum, & voluntatem, sed etiàm relationes, non tamèn ut principia, sed ut conditiones, & modos dumtaxàt.

Prob. 1. & 2. pars. 1. Ex Concil. Lateran. sub Innocentio III. definiente contra Abbatem Joachim sic: *Et illa res* (scilicèt natura divina) *non est generans, neque genita, neque procedens, sed est Pater qui generat, & Filius qui gignitur, & Spiritus S. qui procedit.* 2. Juxtà Scripturam, & Patres, Filius est Verbum, & Spiritus S. est amor, & dilectio; atqui Verbum est immediatè ab intellectu, & amor a voluntate: ergo. 3. Essentia non operatur immediatè per se, sed per suas facultates, quæ sunt in Deo intellectus & voluntas: ergo. 4. Pater gignit Filium, spirat cum Filio Spiritum S. per actus vitales immanentes; atqui in Deo non sunt alii actus vitales immanentes quàm intèllectus & voluntas: ergo. 5. Et præcipuè: juxta sententiam Durandi explicari non possunt præcipua capita Mysterii SS. Trinitatis, quæ commodè juxta sententiam nostram explicantur: ergo. Prob. Ant. Si natura divina, ut præintellecta intellectui & voluntati sit principium immediatum, quo procedunt Filius & Spiritus S. non potest assignari ratio 1. cur Filius dicatur Verbum & Spiritus S. amor. 2. Cur processio Verbi sit generatio, & non processio Spiritûs S. 3. Cur processio Filii præcedat processionem Spiritûs S. 4. Cur Filius procedat ab una tantùm persona, & Spiritus S. a duabus. 5. Cur Spiritus S. procedat a Filio, & non Filius a Spiritu S. 6. Cur sint tantùm duæ processiones, & non plures: proptèr quæ incommoda hæc Durandi sententia censura notatur a quibusdam. Hæc autèm omnia in sententia nostra commodè explicantur, 1. Filius dicitur Verbum, & Spiritus S. amor, quia Filius procedit per intellectum, & Spiritus S. per voluntatem. 2. Processio Filii est generatio, & non processio Spiritûs S. quia Filius procedit per intellectum, qui est assimilativus, & Spiritus S. per voluntatem, quæ non est assimilativa, ut dicam infrà. 3. Processio Filii præcedit processionem Spiritûs S. quia intellectus prius agit quam voluntas. 4. Spiritûs S. procedit a Filio, & non e contra; quia eo instanti, quo concipitur Filium generari, ipse Filius recipit a Patre voluntatem, nulla adhùc operatione exhaustam. 5. Filius procedit ab una tantùm persona, & Spiritus S. a duabus, quia Pater solus priùs intelligit, & intelligendo producit Verbum; Verbum autèm productum & Pater, sese amando, spirant Spiritum S. 6. Deniquè sunt tantùm duæ processiones, quia sunt tantùm duæ facultates producentes, scilicèt intellectus, & voluntas.